

Dissertatio de salivatione mercuriali physico-medico-mechanica ... acc. historiae felici, & lethali experimento comprobatae / [Bartolomeo Boschetti].

Contributors

Boschetti, Bartolomeo, -1744.

Publication/Creation

Parisiis [etc.] : [publisher not identified], 1732.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/rbyxbaft>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



Mih Rer, non Me Rebus.



Bibliotheca
M. Hyacinthi Theodori Baron.
Antiqui Facultatis Medicinae
Parisienensis Decani, nec non
Castrorum Regis et Exercituum
Protomedici




Les 4
14697/6



Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30525676>



BARTHOLOMÆI BOSCHETTI
DISSERTATIO
DE SALIVATIONE
MERCURIALI
PHYSICO-MEDICO-MECHANICA.

DARIONOMI BOSCHETTI
DISSESTATIONE
DE SALVATIONE
MERCURIALI
PHYSICO-MEDICO-MECHANICO

D I S S E R T A T I O
D E
S A L I V A T I O N E
M E R C U R I A L I
Physico - Medico - Mechanica
B A R T H O L O M Æ I B O S C H E T T I
V I C E N T I N I,
Philosophiæ & Medicinæ Doctoris,


In tria Capita divisa.

Quorum prius continet Salivæ naturalis examen. Alterum
Caput ejusdem vitia considerat. Tertium Salivationem
artificialem exhibet.

*Iis accedunt Historiæ felici, & lethali experimento
comprobatae.*

A D I L L U S T R . E T E X C E L L . D . D .
A L O Y S I U M P I S A N U M
Equitem , & D. Marci Procuratorem.

Juxta Editionem Venetiis editam & diligenter correctam.



Veneunt Parisiis, Lugd. Batav. in Nundinis Francofortiensibus & Lipsien-
sibus, nec non per totum Latium. 1732.





AMPLISSIMO VIRO
Illustriſſ. atque Excell. D. D.

ALOYSIO PISANO
Equiti, & D. Marci Procuratori,

BARTHOLOMÆUS BOSCHETTI
Æternam felicitatem adprecatur.



*Anta est tua gloria, nominis-
que tui, ac rerum gestarum
magnitudo Illustriſſ. ac Excel-
lentiss. Procurator & Eques, ut quamvis floren-
tissimi, plurimique Oratores usque adeò pro tuo
bonoris*

honoris merito concertaverint encomiis, nullus tam
encomiis tam aequè dixerit, cui, Tibi in dies germinan-
tibus novis laureis, majora non supersint celebra-
nda. Virtus tua splendore clarissima, humanae qua-
si capacitatibus terminos excedens fama, laudibusq;
Gallicum, Anglicum, Italumque Orbem peragra-
vit; Gesta vero sicuti omnium oculis admiranda
exposita immortalitatis splendore corruscant: ita
in tui acclamationem dulci impulsu hominum vo-
ces alliciunt. Sublimi igitur ornatu quæcumque
laudando dicam, factis tamen minora semper di-
cam, quod quanto magis à lucri studio remotius
est, eo purior erit mea laudes celebrandi cupiditas
et veracior reddetur, omnis adulationis, et suspi-
cionis expers. Tuarum laudum campus cunctis
patet amoenissimus, messique fæcundus, in quo
exultant Juvenum modulationes, senum gratu-
lationes, populorumque tum Venetorum, tum ex-
terarum Nationum eloquentia passim tentat inire
certamen; Resonant undique Præfecturæ Venetae,
quas in Gallia apud Ludovicum Magnum Deci-
mum quartum, in Anglia apud Reginam Annam,
in Italia apud Carolum Tertium ut Hispaniarum
tunc Regem gessisti, celeberrimæ Legationes; Quas
quidem ego, nisi ita illustres fuisse faterer, ut eas vix
cujus-

cūjusquam mens, aut cogitatio capere possit, amens,
nedum cæcus forem. Parcant igitur quicunque
hæc legerint, parcant ignoto hospiti in laudes tuas
ire audenti, qui non alia utique re (licet ingenio
omnium infimus, par autem omnibus obsequendi
studio) quam maximo tuae Virtutis amore affectus
ex inconditis Musarum latebris incognitus homo
libens erumpo, cum certo sciam, quod est totum
mihi solatum, Te mea parva Vota æquè, ac ma-
gna Venerantium officia probaturum. Benigni-
tatem hanc singularem, humanissimamque men-
tem tibi indidit tuae stirpis origo, qua tamquam à
summo Jove deducta, tum fortunæ opulentia,
ipsisque mirandis gubernanda Reipublicæ legibus,
tum rei militaris ferocitate, ac victoriis omnes
Reipublicæ duces emulatur, qua Romanos, qua
Cæsares; quorum Tu omnium ornatus non modo
omnium Senatorum maximus consequeris, sed mi-
rabili rerum gestarum gloria illos felicitate, ac
imperio ita devincis, ut ab omnibus præcantium
suspiriis, tot gentium, bonorumque omnium votis
sub Libra Venetæ Astree prænuntiaris fulgentissi-
mum sydus, quod Te vagiente in Cunis confexere
in aurora Proceres, Teque cum virtute infantem
ad summa natum prævidere Cives, qui facti

adulti

adulti Herois ambitione, aut Reipublicæ fulcien-
dæ desiderio nihil in Te decorando omiserunt in-
tentatum, ut Pisana Fortuna tantis honoribus de-
corata Veneti Ducis imperium tot Heroum san-
guine, tot seculorum Circulis comparatum nan-
cisceretur. Si enim vita, tuarumque actionum
stadium percurramus, omnia absque ostentationis
genio Principe digna in te conspiciuntur; hoc
unum in primis pro ingenita lege Tibi sancitum
proposuisti, ut à Deo Reipublicæ gubernationem
auspicato, nihil Tibi sine omnium Regum Domi-
natoris patrocinio agendum foret, cum innata
quadam Morum supereminentia optimè tibi in-
notescat, illius Reipublicæ regimen proximiùs feli-
citati accedere, quod in omnibus Religionem in-
tuetur, quod exemplum sicuti omnium civium
commodo adimpletum nullibi gentium, aut anti-
quiùs invaluit, aut stabiliùs constitit, quam in
Venetiarum Urbe, cuius Respublica cunctis tem-
poribus securus portus divexatis Romanis Ponti-
ficibus extitit; ità firmissimo bonarum artium,
omniumque scientiarum fulcro, quod est unicè
Tuo excelso animo condignum, Italorum Natio-
nem ditare satagis. Temporum injuria exultæ
Musæ procederent, nisi amæniori splendore, ma-
jori que

þrique diligentia exulta sibi altricem Patriam
Patavinas Athenas recepissent, ut jure merito di-
cendum sit, quod quibus quondam Græcia, nunc
litteris Te Mæcenate Italia floreat, qui Sapienti-
bus in toto Orbe Professoribus nullis parcendo
sumptibus tanta præmia impendis, ut ad publi-
cum commodum publica scientiarum litigia &
ingeniorum acumina exerceantur. Hoc nobilis-
simum impendii genus ad educandam disciplinis
juventutem erogatum Cives nobilitat, Nobiles
divitiis exornat, & in publicæ rei incrementum,
& in donantis gloriam cedit. Sed quid innume-
rarum scientiarum utilitates in medium affero,
si Tu Senatorum Sapientissimus Scientiis pariter,
ac litteris longe Cunctos antecellis? & hic proli-
xius facundiæ flumen desideraretur, quod per sin-
gularum Virtutum Viridarium expatiaretur, sed
Modestia Tua cæteris Virtutibus par, mihi, cre-
do, subirascitur; onerari enim se potius, quam
ornari laudibus hisce arbitratur. Interim cæte-
ris inter se virtutibus de imperio digladiantibus
principem sibi locum depositum innata illa Bonitas
Tua, quæ facem præfert fulgentissimam, ut qua
cura, qua mentis vigilantia, agendarumque con-
stantia rerum in inclytæ Reipublicæ regendis ha-


benis tuam mensuram adimples, toti Orbi inno-
tescat. Sic ubique tibi similis, ubique admirabilis perfulgens omnes amore prosequeris, Magnanimis Regibus sanè semper opus laudabile; at
amant Te pariter omnes, amant singuli lumen Curiæ, Propugnatorem Reipublicæ, Patronum ne dicam, an Patrem Bonorum omnium? Hisce vir-
tutum cumulis, dum provida Fatorum indulgen-
tia in bello, ac pace Rempublicam exornas, subdi-
torum scilicet animos, & exterorum benevolen-
tiam, quam nulla unquam ætas oblitterabit, con-
sequeris, quibus tam preclare actis, & auctis non
tam Patria, quam publica confessione Æmolorum
Magnus appellaris. Huc igitur accedant om-
nes artium labores, ingeniorum Curiæ, & lucu-
brationes, ut sudato studio tuorum partuum ma-
gnitudines æternitati consignent, quos serio mecum
ipse perpendenti, illosque dicendi ornatu attingere
desperanti gloriosi vindicis auctoritatem implo-
rare posse, magnum mihi fuit beneficium. Hinc
factum fuit, opellam, quam publicæ luci primò
concedo, ut jure tuos antè pedes sisterem, Vir Ex-
cellentissime, quæ tuum enixè expostulat præsi-
dium, ut ad præsentes, & posteros æquè benè transi-
re permittatur. Tu, quem excelsæ Reipublicæ
Venetæ

*Venetæ adorant Lycea, ut litterarum Principem,
Ego Mæcenatem, benignum indulgeas obtutum,
precor. Non enim alio affulgenti Sydere mihi
rebus meis Vela danda sunt, quibus incerto Rei-
publicæ litterariæ Oceano me committere non
dubito, si opusculum hoc meum ad Tuæ Clemen-
tiæ Patrocinium, tanquam in sacrae Anchoræ
axillo innixum, Tui Nominis in fronte gerat in-
sculptam immortalitatem. Vale igitur Senator
Eques, Ego Procurator Amplissime, ut publica
Scribentium salus incolmis sit, longiorique lucis
usura dignus, quam Mortalibus Tuæ auctorita-
tis præsidiis, Tuique amoris vinculis continuo
elargiris.*

Dabam Venetiis pridie nonas Julii 1722.

*Humiliissimus, Devotissimus & Obsequiosissimus
Servus*

BARTHOLOMÆUS BOSCHETTI.



AD LECTOREM.


VT solertiæ meæ , qualis sit , innotuit ,
primos Medicinæ Parentes , tot , tan-
tosque viros ad culmen artis evectos ,
indefesso contemplationis genio , &
philosophandi instituto , illam Medicinæ partem ,
quæ ad hominis morbos profligandos , vitamque
tuendam maximè conducit , phlebotomiam ni-
mirum , & purgationem , ut universaliora magis ,
sedula diligentia , improboque labore adamussim
illustrasse , & enixè addictos in universali corpo-
rum purganti , sicco pede salivationem transegis-
se , nihilque in hoc pulvere desudasse , licet for-
tassis salivatio in purgantium censu reposita ma-
gis universalis eluceat , jam quatuor circiter la-
buntur anni , quibus accuratis morborum obser-
vationi-

vationibus in hac Sparta exornanda occupatus
castra sequor celtica lue denatorum , quorum
gratia luci publicæ exponere succinctum Sal-
vationis specimen ante oculos mihi constitui.
At circà hujus operis editionem diù dubitabun-
dus hæsi , itidemque prono ad cursum impetui
frænum injecti , quia *qui benè latuit juxta ada-*
gium, benè vixit. Nunc tandem laxam dedi
habenam , quamvis id felicitatis fastigium me at-
tigissè minimè opiner , ut opusculum meum ad
palatum tuum delineasse crediderim , cum hoc
nostro felici sæculo nobiliora extent ingenia , &
uberiora nunc vivant , ut tot disciplinarum in-
venta in rerum abstruso latentium reperta , anti-
quorum mentibus incognita , huc usque in natu-
ræ magnificentia latuisse , ut in posterorum indu-
strialm , & gloriam cederent : quorum cætus con-
cordes , quid curiosi , quid novi natura parit , alio-
rum oculis adhuc non animadversum , vario ad-
discendi studio incitati vitam per pericula non

sufferendo labori commisere. Quid igitur di-
vitiis alieno partis labore, & aliena industria re-
pertis non fruimur? si nimia primi ævi ubertate
defatigata natura nostris universum tradidisset
Parentibus, antiqua nova rerum accessione illu-
strata, nuperisque experimentorum inventis suf-
fulta non cernerentur. Quod ad meum dicen-
di, & philosophandi genium spectat, nemo mihi
vitio vertat, si non adamussim hic omnia con-
scripserim, cum semitam ferè nullis calcatam ve-
stigiis, nulloque afflante lumine pergere cogar,
ubi novam mihi sterno viam; si igitur ab æquo
deflectens semitam non agnoscam, cui trito in-
sistere possim, conatus meos, quantum fas erit,
in viam reducere defatigabor. Non ergo cum
Seneca *sequor priores, facio, sed permitto mihi,*
& invenire aliquid, & mutare, & relinquere.
Quemadmodum enim extensis ventorum flati-
bus velis sublata temonis directione navis incer-
ta via syrtes impingens, undisque obruta dehis-
cens casu salutis asylum offendit: ita mihi for-
tuitò

tuitò continget , si primis initiatus Medicinæ
meandris, & ut homo in arte novus opellam hanc
meam ad utilitatem ullam revocavero . Præ-
clarum hoc opus ausus sum tentare , non ut ex-
ercitatis facem præferrem , sed ut magis expertos
medicæ artis Heroas ad perficiendum hoc opus
exemplo meo stimularem , & si alios excitavero
ad salivæ morbos venandos , qui labores meos
fugerunt , benè jacta erit alea , & frugem carpsis-
se , metamque attigisse mihi videbitur . Cæte-
rum felicia ingenia intima quæque , & abscon-
dita scrutantia vident , ubi nobis non ultrà pro-
gredi liceat . *Non enim* , inquit Cicero , *parùm*
cognoscere , *sed in parùm cognito stultè* , *& diù*
perseverasse , *stultum est* . Tu interim , Amice
Lector , hæc habe , quæ si placuerint , lege , ut
noster omnis non sit irritus labor , in quo si er-
ravi , humanum scias esse labi , Vale , & me
amare perge .

NOI



NOI REFORMATORI DELLO STUDIO DI PADOVA.

Avendo veduto per la Fede di revisione, ed approbatione del P. F. Tomaso Maria Gennari Inquisitore nel Libro Intitolato : *Dissertatio de Salivatione Mercuriali Physico-Medico-Mechanica Bartholomaei Boschetti Vicentini*, non v'esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro ; niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo Licenza a Giovanni Radici Stampatore che possi esser stampato, osservando gl' ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Publiche Librarie di Venetia, e di Padova.

Dat. 23. Maggio 1722.

()

() *Francesco Soranzo Proc. Ref.*

() *Zan Pietro Pasqualigo Ref.*

Registrato

Agostino Gadaldini Segret.



D E
SALIVATIONI
C A P U T I.
A R T I C U L U S I.

De Saliva naturali.



Uemcumque opinor libenti animo laturum , si ego ad salivationis historiam graphicè pertractandam posthabit is tot eruditorum conatibus , & studio accuratè pro virili perpendam , quibus hæc viribus innitatur , quibusve mediis illustretur , ut illa ea contrahatur industria , atque brevitate , ut non multum possem inutiliter impendere tempus , si ulteriori inquirendi labore sollicito nova fortè mihi contigerit comprehendere experimenta , quicquid in hac mea disertatione poterit in dubio latere , ad eruendum accessita . Ea enim est rerum natura , hominumque peritorum fertilis industria , & inquirendi libido , ut argumenti ad historiam spectantis notitia in dies priùs illustretur . Itaque ut augeatur

tur ipsa , & eluceat historia , (si fortè unquam omnibus ab-soluta numeris futura sit) necessarium , aut perquam utile judicavi naturalis salivæ artificium , ejusque morborum cau-sas , qua fieri poterit diligentia mea , non inani , ut spero conatu , ad trutinam priùs revocare .

Inconsultiūs facere ratus sum , si proprietates , & salivæ usus constituerem , antequam ejusdem qualitates , & affe-ctiones sub examen vocarem , quod ultimò allatum , ut concipiam modò , satis ducor enumerandas eas esse ma-ximè generales affectiones coaletionum , quæ ex diversis materiæ particulis in cuiuscumque salivæ naturalia corpora abeunt . Atque ea propter operæ pretium fore existimo affectionum causas inquirere , antequam saliva ad ejusdem naturam solertiūs indagandam me alliciat .

Salivæ corpus itaque fluidum esse videtur eò in pri-mis , quod consistat ex particulis , quæ dum se invicem in exiguis componentium corpusculorum superficieculis lubricis , atque lœvibus tangunt , inter se invicem reptatum promovent : hinc inde agitatæ juxtà suas superficies adeo volvuntur , ut sui motus momento se diffundentes , aquæ ad instar liberè quaquaversum ferantur . Et sanè non negandum orbicularem molecularum figuram ad corpo-rum fluiditatem plurimùm conferre ; interim verò cæteræ dantur qualitates salivæ , quæ diversas particulas arguere videntur , variè admodum , & aliquando irregulariter figu-ratas , dummodò ingredientes partes in corpuscula satis exilia dividantur , atque ad eam levitatem , & volubilita-tem redigantur , ut ob molem suam fluidorum corporum particulis liber inter se ipsas motus non intercipiatur ; pro-indeque sint non tantùm volubiles , sed actu motæ , ut corpus fluidum reddatur , non quidem solo aggregato ta-lium corpusculorum , quæ sphærica sunt , aut alia regulari forma prædita , verùm sola dumtaxat vehementi , & varia particularum illud componentium agitatione ; Quæ quo-niam tactis corporibus adhærescunt , vel saltem partibus quibusdam turgent , quæ molecularum congruitate , ad particularium , quos tangunt , corporum poros relata , fir-ma

ma adhæsione per superficiem corporis labentes humiditatem impingunt, fluidus, & humectans liquor dici merentur. Si verò notionem humiditatis hactenus explicatam sequamur, supererit adhuc unum quid, quod circa naturam fluiditatis nos instruit; id verò est discrimen, quod fluido corpori, & humectanti liquori intercedit, quæ cum in multis convenient, confundi perperam solent: cum omnis humectans liquor sit fluidus, non tamen quodve corpus fluidum humectet. Aér enim, æther, & ipsa flamma corpora fluida vocantur, atque nitrum fusionem passum verus liquor est, hæc tamen corpora ea, quæ tangunt non madefaciunt; ex hoc deduco salivam aqueis corpusculis hâc illâc motis abundare, quibus exterior corporum superficies guttulis ipsius liquidis irrorari tota conspicitur. Si externi aëris contactu partes exiguorum salivæ corporum in novum motum cieantur, quo volubilia illa corpora reciprocam ipsorum adhæsionem impedientia, in rariorem seriem disponantur, & in aliud adhæsionis genus, & partium complicationem ob quamdam viscositatem mutentur, ut in suarum superficierum lateribus se invicem tangent, facile in tenues illas membranas, quas bullas appellamus, contexuntur, adeò ut per crebras evolutiones, quas aér inter eas invicem partes ciet, sibi mutuò ita applicentur, ut super suas invicem superficies labantur, tandemque ob superficierum congruitatem in arctiori partium contactu mox evanescant; Qua ratione numerosæ declinantes superficies salivæ in multitudine parvolorum in convexo sphæricorum, adeò contrahuntur in convexo plana aquæ superficie, ut superficiales earumdem particulæ nullis cavitatibus repletæ, aut sulcis divisæ plurimum lucis refrangant, ob quam radiorum lucis refractionem diaphanæ apparent, in quas vicissim aëre subtiliori, & radiis solis conjectis, pellucidum fatis corpus deprehenditur. Verum quamvis minimæ hujuscे liquoris particulæ sibi invicem commisceantur, tamen aliorum corporum particulas facile admittunt, & cum duobus, vel pluribus junctæ non refugiant misceri absque fluidæ molis incremento, inter ip-

fas parvula inania intercedent, adeoque sub magna mole parva materies ita coalescit, ut corpus leve constituat. Præter aqueas partes leniter juxtâ se invicem labentes ad- sunt moleculæ in saliva viscidiusculæ, quæ in illius substan- tia natantes coitum, & unionem quasi moliuntur: unde ob irregularē agilium illius partium vagationem hâc illâc incessanter dilabentium, & ob crassiusculas ejusdem mo- leculas aliarum celerem, & intestinum motum ægrè feren- tes, si non compacti, lenti corporis saltem naturam æmu- lantur; & cum salium ramenta sint in aqueis moleculis ad minima soluta, & intimè commixta, insipidi corporis suc- cus saliva deprehenditur.

Saliva igitur cum sit corpus humido - aqueum - tenuē pellucidum, lento-fluidum, insipidum distinguitur à pan- creatis succo, qui humor tenuis aquæ fontanæ ad instar offenditur; cujus qualitates gustu perceptibiles juxtâ ex- perimenta, & observationes Listeri, D. de Graaf, & Ver- heyenii salso - acidæ plerumque attinguntur. Hinc differt pariter saliva à lympha, utpote humor saliva tenuior, cum sit planè aquosus. Unde à salivæ commercio maximè ex- cluditur crassum illud, viscidumque liquamen, quod à tonsillis, vel tussiendo, vel screando exprimitur, quodque extra orbitam sanguinis secretum in cavitatibus glandula- rum, palati, faucium, & narium abundantiùs accumula- tur, ubi ab aëris perenni affluxu subtilioribus particulis, magisque mobilibus dicti humoris abreptis, crassior, ma- gisque tenax portio relinquitur. Hic viscidus humor in na- rium cavernulis interiùs obductis membrana crassa vascu- lis sanguiferis densissimè referta, pluribusque obsita glan- dulis jugiter transudat; delatus ille per ramos arteriarum carotidum membranæ insertos ad glandulas omnes, à qui- bus cum recensita membrana suos processus extendat ad os cribrosum, & cuneiforme, atque illorum cavitates undi- que cingat, potest per cavitatem sphænoidis in fauces de- scendere, & à glandulis in nares copiosius emitti; cum membrana, quæ nares obducit, crassior sit, magisque glan- dulosa, adeoque abundantiori humoris separationi magis apta.

apta. Hujus muci pars magis aqua confertim extillat à punctis lacrymalibus, quorum ductus aperto orificio ad os turbinosum nasi exonerantur.

ARTICULUS II.

De causa materiali salivæ.

CUM igitur existimem salivam esse chyli liquorem, ingenuè fateor, quod dubito; at cum magis solicetè opiner, ut majorem rationem reddam, cur modò non acquiescam in afferentibus à sero oriri salivam, nec in aliis docentibus à lymphâ; faciet illud fortassis ad hanc meam opinionem excusandam, si in virorum diversimodè sentientium congressu liber detur philosophandi locus. Ut itaque libere loquar, quæ sentio, videtur mihi salivam generari potius à chylo, quam à sero, vel lymphâ succo chyloso restaurata: Quod fortasse elucet ex animalium duorum, vel trium dierum inedia, quo temporis spatio nullus salivalis affluxus in glandulas confluit, in sanguinem non irrempente chyloso latice, non deficientibus interea in massa sanguinis, imò seroso aqueis plurimum auctis particulis. Quod si sanguis fame extinctorum spontanea analysi oculis subjiciatur, ostendet quidem partem gelatinoso nutritiam, & fibram sanguinis in auras evolasse, & consumptam; sed aqueo-serosa pars in ratione quantitatis crassamento sanguinis quasi æqualis erit: quare multiplicata causa salivam fovente, in ductus glandularum confluat neesse esset salivalis humor, qui tamen in fame confectis, arescentibus glandularum folliculis omnino evanescit. Quippe serum sanguinis, & globuli sunt veteres, atque ægrè dissipabiles humores, qui à principio vitæ sanguinem conficientes usque ad ultimum senium vix mutationem suscipiunt, humorum itaque materia non sunt attritæ seri particulæ, & immutabilia fluida, sed sanguis chylo saturatus, qui simplici contactu sanguini commixtus universas glandularum, & vi-

scerum lacunas alluens , sensim in vasa excretoria impelli-
 tur , & peculiaribus suis officinis accommodatur . Sancto-
 riana stactica huic assertioni applicata , dum mensuram eva-
 cuationum exhibit , illam miris modis illustrat ; inquit enim
 diligentissimus Sanctorius , non qualibet hora corpus eodem modo
 perspirat , quia ab absunto cibo quinque horis circiter libram ex
 magna parte exhalare solet ; à quinta ad duodecimam tres libras cir-
 citer : à duodecima ad decimam sextam vix libram . Unde maxi-
 mum chyli dispendium fit , cum totus chylus in sanguine re-
 cipitur , minima à duodecima ad decimam sextam , quia
 parum chyli remanet dissipandum ; at hyberno tempore quo-
 niam hebetatur transpiratio , adeoque insensibilis dissipati-
 o chyli per poros cutis , augetur salivæ affluxus ad glandu-
 las , igitur chylus est immediata causa salivæ . Nec dicatur
 cum Dimerbrokio , chylum virtute quadam peculiari cor in-
 gressum subito , ac vehementer rarefieri , ut in eo instanti
 vertatur in sanguinem , cum chylus eo diù cum sanguine
 circumferatur , ita ut tandem sub eadem chyli forma extra
 sanguinis orbitam extrudatur . Chylus in sanguine recenter
 cibato diligenter à Listero observatus , & ad multos dies cu-
 stoditus sero licet ab ipso pluries commixtus non potuit ad-
 hærere , nec ut serum concrescere , sed tanquam oleum ex
 aqua emersit ; *Sanguis inquit ex vena cuiusdam viri missus ad li-*
bram , ex toto albus instar lactis inventus est , ad hebdomas inte-
ger mansit , nec fractus ut lac , nec in superficie florem , aut mem-
branam habuit , aut acredinem contraxit , tandem in ampulla vitrea
diu servatus putredine resolutus est . Sic in ansere saginato ani-
 madvertit Steno succum nutritium in orbe sanguinis diù
 permanere chylum . *In ansere autem ad plures dies largo pastu*
saginato super ejus sanguinem missum rubentem , & in fundo vitri
concretum candidus chilus fluitabat absque ullo aquosi seri indicio .
 hæc Auctor ; Unde chylus dum in orbe sanguinis toties , &
 ad tot horas circumfertur , sua integritate conservatur , do-
 nec tandem in salivam confectus transmitti possit . Deinde
 cogites velim cum Listero , quanta sit sanguinis in Ictero
 cum flavo colore affinitas , idest serum , à quo alluentes hu-
 mores bile infecti conficiuntur , tamen saliva nullo virore
 lutescens

lutescens à naturali colore non deflectit; porrò quæ ab aqueo-ferosa sanguinis parte ad glandulas continuò ruentia, & rapidè discurrentia faciliùs in uberes excretiones facescunt, cum flavescente sero flavescunt.

Verùm enim verò ejusdem salivæ principia examinaturus, nescio an fas mihi sit suscipionibus meis indulgere, ut cum aliqua certitudine gradus, & status salium determinentur; quod ut dubiis fiat satis, cum multò majorem deposcat experimentorum laborem, quam nunc mihi vacat, invitat me ad analyticam Chymicorum diligentiam per ignem salivæ principia eruentium, rimandam.

Hæc enim immissa retortæ vitreæ non ægrè ostendet leni igne commota aquei vaporis prædominium, qui in auras per retortam ascendens, vel per alembicum expulsus, ab ignis calore dissitus, in fine vasis non coit, & insipido-aqueum liquorem pressius unitus exhibet: Aucto exinde igniculorum gradu sequitur liquor tenuis, & magis spirituosus, qui est sal volatile in fluorem spiritus evectum, & oleo volatili intímè associatum, quod inertem, & viscidam massam in fundo vasis relinquit: ex cuius calce, ac lixivio sal fixum educitur, terrestrioribus remanentibus particulis, caput mortuum nuncupatis; ut inde si qualia in mixto miscibilia existunt, educeret ignis, saliva partibus aqueis magis saturata sulphureo-salinis, terreisque particulis tantùm coalesceret, in qua aqueæ moleculæ super alias prædominio potiuntur, & minima salium ramenta, oleosa, & terrestria corpuscula æqualibus mutuò nisibus licet quantitate, ac mole non æqualia invicem irretiuntur.

Varii generis salium particulas continere salivam, acidas nimirum, salino-oleosas, insipidas deprehendet, qui maturitate consilii, constanti probata experientia à veritatis scopo minimè aberrat, dum investigandam solertiùs ipsius naturam sibi proponit, cum clarissimo Nuchio ab observationibus naturam petente in cap. sialographiæ, post earumdem levem inter se commotionem cum alkalinis, cum acidis, tum spirituosis liquoribus salivalem laticem associari percipiet.

Paulò verò examinata, atque perpensa maxima illius dissolvendi vi duriorem quoque corporum compagem, coalescat oportet activioribus salium principiis, salinis nimurum, sulphureis, urinosis, volatilibus, aquoso latice dilutis, quæ si Chymicis Paracelso, Ludovico de Comitibus, Helmontio, Basilio Valentino sit præstanda fides, comparantur liquori alchæst, qui corpora in minima, seu prima entia resolvit, & ex eo liquore de universali menstruo participante, acidum, cui par in natura rerum difficile inventur, solvens elicetur, quod licet insipidum videatur, mire penetrans ita contactu suo ferrum corrodit, massam triticeam fermentat, tincturam Heliotropii rubeo colore tingit: ut obvium sit concipere, salium quoque acidorum prædominium. Farina tritcea cum aqua communi subacta in massam redigitur ponderosam, instar luti viscidam: saporis ingrati: Sin saliva inter subigendum adhibeatur, massa protinus effervescent mole intumescit, Salis enim, ac sulphurum portiones in farinæ massa subsidentes ita viscosa humiditate obruuntur, ut se invicem non exagitent. Dùm verò acidæ salivæ particulæ in salia, ac sulphura impingunt, eadem in motum concitant: hinc aliæ ab aliorum motu exagitatae longa subactione totam massam pensantes, partes terreo-viscidas attenuant, & subtiliant, adeoque tumultuantes farinaceæ moleculæ incandescentiæ, & fermentationis motum suscipiunt.

At si compressis corporibus, & inertibus stimulum addit, sumimè mobilibus frænum imponit, eaque coërcet, ut in hydrargiro longè patet. Quotiescumque igitur salivæ spicula salina acina acidorum rigida, & acuta vi suæ gravitatis, & figuræ subeunt Mercurii infinita interstitia, exorta à solidis exilibus, & partibus sphæricis in puncto contactus se invicem attingentibus, earumdem positionem, & in contactu directionis nisum dimovent, atque cunei vim in sphæroideas partes exercendo illas exacuant, fit ut pessimata globorum figura, & positione contactuum, diversæ resultent oblongæ, & ramosæ, ex quorum ad mutuos sui, arctosque amplexus dispositorum unione motus ipsius

ipsius hydrargyri obtunditur, & in corpus veluti fixum resultat. Quòd si permirum fortè tibi videri possit, salivam cunei vim exercere in Mercurii particulas, cogites velim ab earumdem ramositate, & figura, moleculas sibi mutuo irretiri posse, ut difficillimè sese extricare queant: quo à ratione minimè alienus videbor, si hoc rite perpendens suspicabor, ob salinas salivæ moleculas opportuna sui interpositione Mercuri pars in crassiora longè corpuscula redactas secundum latiores suarum superficierum portiones sese contangere, quæ tangentia corpuscula variè huc, illuc, hac, illac volutata ad totalem divisionem, aut divulsionem minùs saltem, dum apta redduntur, post varios occursum, & recursus, superficies ob latitudinem, & figurarum congruitatem ad cohaesionem mutuam uniuntur, quæ ubi semel hunc in modum cohaerint, majoris contactus secundum superficierum proportiones rationem habebunt; quorum coalescentium corpuscolorum partes, cum à gravitate aëris premantur, urgeanturque, nec à vi ætheris intus ut prius agitantur, mutuò sibi adeò adhaerent, ut licet specificæ gravitatis proportionabiliter minorres sint, ex grandioribus quidem ob molis suæ crassitudinem corpusculis constant, quibus major superficierum scabrities eas adeò adunat, ut totali divisioni resistant, donec intensior ignis, aut vehementior agitatio hanc mutuam partium cohaesionem dissolvat.

Quoniam saliva cum solutione Mercurii sublimati, & Jovis mixta ceruleum colorem ad album tendentem acquirit, ut idem prorsus efficit aqua fortis, inducitur clarissimus Balgivius, ut credat salivam continere in se sal nitro-salinum universali analogum, quo potenter sublimati chrystallos penetrando eosdem fundit, ac exfolvit; sed hic non desinit actio salium salivali liquori inharentium; nam non minus dissolvendo sulphura instar alkalium, quam in modum aquæ salia eliquando illum dices cum Tauri, Helmontio, & chymicis menstrum universale, cum quibus si aliorum auctorum effata circa materialia principia salivæ in unum cudere fas sit, ex omni genere salium conflatum,

quod intra reclusos corporum meatus, omniumque alimentorum poros coërcitum, valeat omnes resistentias, & partium cohæsionem tollere, quæ aquoso tantum menstruo reluctarentur.

Statuto salino principio per stultorum æquè, ac sapientum magistrum experientiam tandem sapere disco & serio iterum cum Dolæo, Sylvio Deleboë, & aliis in saliva multum aquæ, parùm spiritus volatilis, & minimum salis lixiviosi cum olei, spiritusque acidi tantillo mixti, temperatique considero, à quibus non discrepantibus Balgivio, & Guglielmini nitro-tartareae moleculas in recessu constitutas ulterius addo, ex quo licet plures salium particulæ in salivali fluido innatantes mixtura una coëant, salina tamen corpuscula ita intrà semet complures exiguae aquæ particulas intercipiunt, ut proportio salium ad aquam sit minima. Hinc à varia utrinque corpusculorum allisione inter se mutuò moliant, atteruntque, ut in tām exiguae comminutæ particulas, in tām tenuia latera, angulosque adeo levi acumine donatos ab aqueis linguam humectantibus dissolutæ, ita agitari possunt, ut licet pluribus salibus refertæ ob summam exilitatem in ipsos organi poros insinuando se se angulorum acuminibus, membranosas partes juxtà variam salinorum miscibilium figuram, & molem variè, leniterque titillent. Hæc enim mixtura à salibus diversi generis in aquo-serosis moleculis intimè dissolutis conflata nullum saporem habet, ut intrà nexus corpusculorum sapidorum excepta diversas saporum percipiendas sensationes gustus organo exhibeat, quo medio sapidorum demulcedine, suavisque saporis substantia oblinitus, & asperioribus salibus collitus, mollis texturam, ingratique saporis impressionem comprehendit.

ARTICULUS III.

De causa efficiente saliva.

In tenebris latitabant lymphæ ductus ob subtilitatem aciem oculorum eludentes, quo usque benignioris auræ afflatus con-

tu contigit summo Anatomicorum Bartholino , adeò tam lynceo , ac manu adeò agili orbi erudito illos patefacere ; at primo intuitu ignorata eorumdem mechanica structura ob tenuem substantiam aranearum telas æmulantem , sanctum fuit , vehi lympham à corde , tanquam à centro per lymphaticos canales ad partium circumferentiam , cui errori quam plurimi innixi salivam emanare à rorifero quodam succo per lymphatica vasa ad glandulas trajecto , commenti sunt ; sed Bilsij dogmate de hoc motu lymphæ à Ruyschio exploso , ipsique valvulas pertinacissimè neganti ad oculos demonstrante , quæ ubique geminæ , & semilunares situ suo impediunt , ne lympha per eorum meatus ad glandulas excurrat , canuit hoc apud homines commentum . Anatomicorum diligentia per cultrum adeò Anathomes culmen pertingit , ut infundandum non sit pensitandi viarum ambages salivalium ductuum , cum hæc vasa cuicunque in Anathome initiato se se manifestè declarent . Fluit saliva à diversis glandulis , tanquam totidem rivulis in oris cavum , quæ indiscriminatim , & variè implantantur . Primi generis sunt glandulæ buccarum , & labiorum , quorum ductus excretorii intervenientibus fibrillis à membrana buccas succingente emanantibus arctius conglomerantur , quibus in superficie tunicae compressis humor salivalis in os exprimitur . Addit his Steno sublinguales , ad utraque ligamenti latera linguae sitas , quorum excretorii canales ab exiguis radicibus enascentes haud in truncum coalescunt , sed tractu paralello à lingua versus gingivas tendentes ad digitum transversi ferè à dentibus distantiam ostiis exilissimis in oris tunicam exonerantur ; accuratior nihilominus Gasp . Barthol . investigatio ostendit , vasa hæc non à sublingualibus , sed ab aliis glandulis , illisque ad sitis germinare ; à sublingualibus verò ductus binos enasci , qui in ductum communem coalescentes propè ductus Wartoniani ostium in os hiant . Hinc occurunt palatinæ , quarum glandulosa productio mediantibus exilissimis , & innumeris excretoriis ductibus palati tunicam perforat , & quasi cribrosam reddit in postica parte palati occurrentibus . Accedunt tonsillæ in fau-

cium extremitate sitæ, quarum sinus ex canaliculis minoribus coëuntes in os hiant, quibus annumerantur uvula, columella, & gurgulio. Quæ verò extrà os, sunt parotides conglomeratæ circà auricularum radicem implantatae, quarum excretoria ex pluribus glandulis, & ramusculis in unum coëuntia oblique descendunt, & osculo satis amplo propè labrum inferius terminantur. Adjungitur glandula maxillaris interna sita interiùs sub maxilla inferiori, cujus ductus musculos ossis hyoidis ingreditur, & desinit propè dentes incisores inferiores inter gingivas. His subneccitur ductus salivalis à Nuchyo divulgatus, qui ex glandulis in orbita oculi ex pluribus surculis in unum truncum coalescentibus emergit, & non procul à Stenonis ductus ostio rectè descendendo super os maxillare in os dehiscit. Infinitæ aliæ extant glandulæ in toto palato per compressionem conspicuæ, quas hîc recensere operæ pretium non est.

Qua lege salivalis humor per recensita vasculorum excretoria in os eructetur, res est summa opinionum controversia exagitata, sed nondum fortassè juxtà naturæ leges explicata. Ut res hæc secretionis dignitate amplissima, explicatuque difficillima à minus incerta hypothesi sibi ex necessario ordine succedenti ducatur, animus est spectare oculis externam, internamque glandularum habitudinem, mihiique constitui occasionem ultrò obvenientem arripere, ut illa saltem indicarem, quæ à peritis rerum Anatomicis intelliguntur, quæque earum existimatores explicantes, in glandularum structura penitus fidem meam extorquent. Ruyschius in prodromo suo thesauri Anatomici sexti opinatus est, cui consentit Heisterus cum Verheyenio, glandulam esse congeriem vasculorum, arteriarum, venarum, & nervorum inter se certo ordine circonvolutorum, cum ductu excretorio conflatam, è quorum extremitatibus, lateribusque alia minima vasa ortum ducunt, quæ ita inter se implicantur, intexunturque, ut explicatis pluribus ramusculis in glandulosum corpus efformentur. Hæc vasa tandem infinitis revolutionibus in vicem

vicem coalescunt, quæ secretoria nuncupavit, quæque
 omnia una cum nervo peculiari membrana induuntur, ut
 secundum positionem dictorum vasorum membrana ipsa
 accommodetur, ne vasa dimoveantur à debito situ ad
 humoris secretionem necessario. Dicta vasa secretoria in
 unum truncum coalescentia excretorium vas efformant.
 Diligentissimus enim Anathomicus docet illud esse merè
 vasculosum, quod glandulosum ab Anatomicis nunci-
 patur, tali experimento innixus, videlicet particulam cor-
 ticalem cerebri accepit, quam postea capillo suspendit in
 aqua modicè calida, digitis illam cerebri corticalem par-
 ticulam sursùm deorsùmve dimovens, donec laxatis inter
 se vasculis conspicerentur filamentorum ad instar. Qua
 propter juxtà Ruyschium glandulosum corpus nil aliud
 est, nisi vasorum congeries, quorum ramorum series
 glandulæ fabricam indigitantium fuit clarissimo Stenonio
 ante Ruyschium indicata. Malpighius verò in sua epistola
 ad societatem Anglicanam de glandularum structura dis-
 ferens statuit glandulas conglobatas vesiculares esse, an-
 nuens dictas glandulas cavitatem membranosa manife-
 stè habere; Unde tam in humano corpore quàm in di-
 versis brutorum corporibus periculum faciens, glandulo-
 sum corpus simplici membrana compingi testatur, intra
 cuius cavitatem ratis ad instar vasa sanguinea vagantur,
 quæ cum non parva nervorum ramifications glandularum
 structuram efformante contorquentur, revolvunturque,
 à quibus vasorum convolutionibus glandulæ cavitatem
 efformantibus aliorum canarium ramusculi hiant, ex qui-
 bus demùm canaliculis aptè in unicum spatum confluenti-
 bus dedit Malpighius, glandulam nil aliud esse, quàm
 vesiculam quamdam membranaceam, intra cuius cavi-
 tatem vasa sanguifera reticulari modo unà cum nervis lo-
 cantur. Vesicula hæc glandularis fibris carneis consita est,
 quæ postea horizontaliter ipsam penetrant, tandemque
 cum sanguiferis vasis, nervorumve filamenti amiciuntur,
 ut surculi variè contexti in debita crispatiōne, & necessa-
 rio tono detineantur. Cavitatem in dictis glandulis vesi-
 cularibus

cularibus præmissa priùs harum partium maceratione se vidisse testatur ipse Malpighius, & præcipuè in glandulis præternaturaliter constitutis, quām pluries vidi glutinoso humore, & interdùm tartarea materia refertam; ex hoc statuit provenire diversum glandularum colorem, ex diverso humore in ipsis glandulosis cavitatibus stagnante, quod confirmat se secūs vidisse in sanis corporibus, ac in cadaveribus præcipuè hydrope correptis; indè diversitatem coloris in glandulis minimè arguere diversam glandularum substantiam, sed ex humoris diversa natura in ipsis glandulis morantis potius oriri ratus est. Bellinus autem naturæ forsan exigente necessitate putavit, formari glandulam posse, si à summo ramo arteriarum, vel etiam à quacumque parte ramos aut trunci ducatur canaliculus non conicus, nec emittens ramos, sed cylindricus vel ad volutus in spiram, vel plicatus in plicas, tum etiam neque intortus, nec plicatus, sed extensus, per quam, sive plicatus sit, & intortus, sive explicatus, & directus, sit ejusdem amplitudinis, & sine ramis, at demum abeat in canalem ampliorem cum vena continuum. Insuper influat per ejus longitudinem sanguis de more, & ex universa interna superficie canalis originem ducant canaliculi alii hiantes in cavitatem ejusdem canalis, quales ab interna superficie intestinorum originem ducunt venæ lacteæ hiantes in cavitatem eorumdem: & quemadmodum hæc per totam longitudinem intestinorum feruntur ad exteriora, & intrâ intestinum per mesenterium ducuntur, quo usque confluant omnes in unicum alveum lumbarem: Ita canaliculi illi hiantes in cavitatem arteriæ intortæ extrâ membranas ejus feruntur per pelliculam aliquam aquæ & ipsa, & canalem ex quo derivantur, aptè liget, & sistat, & in communem aliquam cavitatem ducat. Hoc glandularum artificium per Bellinum totum consistit in quodam textu arteriarum, qui circa singulas quasque glandulas admirabili revolutione sibi millies occurrenti invenitur, prodigioso quodam modo implicatum, & veluti reticulatum opus constituens, quod innumeris filamentis in modum retis consitum post infinitos fibrarum intersecationum occursus in glandulas facescit.

Ego tandem opinarer cum Ruyschio, & Bellino, glandulas

dulas esse vasculorum complicationem, certo ordine dis-
positorum, quarum reticulares contextus sint plexus ca-
narium sanguinem vehentium, sed ita coordinatorum, ut
sanguis post superatis plexibus retiformis, antequam infi-
nitis ramulis corpus glandulae penetret, dividatur in te-
nuissimos canaliculos, à quibus protuberant oscula fecer-
nentia in ipsius glandulae cavo hiantia, qui postea infle-
ctuntur, & demum curvatura superata sese contorquen-
tes in venarum ramusculos facti maiores abeunt. Fateor
enim circà glandularum structuram, earumque excreto-
rium ductum non adeò datum esse labores impendi, &
ita obscurè patet cultro Anathomico via in dissecandis glan-
dulis, ut minimè negotio adiges si cultris utaris; unde
sciendi infortunio inter partes nostri corporis glandulae tan-
tùm cultri Anathomici dexteritatem eludere videntur. In-
terim verò minimè perterritio illarum præparationem mihi
licuit maceratione cum diligentissimo rei Anatomicæ
Amico, quasi ad finem usque rem perducere; at nec ipsa
certioribus factis alicujus tincturæ immissione per vasa ar-
teriosa obvium nobis fuit aliquid de earum structura per-
cipere. Deposito autem pancreate in aqua per plures dies
illud maceravimus, postea deducta ipsius peculiari succin-
genti membrana, iterum in novam aquam reposuimus,
quod tandem intra aquam agitavimus, & postea bacillo
ligneo suprà tabulam ipsum percussimus, donec intra aquam
denuò agitatum perpulcrè oculis exhibuerit tot filamenta
varià contorta, quot obtutum effugere potuere. Simili
ritu periculum fecimus de pancreate aselli, nimirūm de
glandula illa magna, quæ in mesenterii canini centro tan-
tùm reperitur. Hæc glandula elegantiori spectaculo sua
innumera filamenta patefecit, non secus ac testium fibril-
larum contorsiones, qua propter suspicatus glandulas com-
pingi ex vasculorum congerie, à qua dicta filamenta or-
tum ducunt, instituta denuò glandularum Anathome ul-
teriùs indagando animus fuit, arteriæ progressum in cor-
pore glandulofo expiscari, & per quantum datum fuit ob-
servare, arteria in plurimos ramulos scindebatur per to-
tum

tum glandulosum corpus simul cum nervo, qui majori largitate se expandebat in infinitos ramulos, donec oculorum aciem prorsus eluderet. Vena pari incessu vagabatur sicut & arteria, è cuius lateribus infiniti iuruli exorriebantur, qui vario modo, & ordine invicem contorquebantur, donec amplius minimè licuit observare, an dicta filamenta sint vasa distincta ab arteriis, & venis, an arteria ipsa degeneraverit in tot illa filamenta, quæ jucunda admiratione spectabantur. Attamen suspicor facilimè arteriam in filaments degenerasse, ut penitus ab arteria ipsa in infinitos ramulos divisa illa filaments tubulosa extenderentur, vel à lateribus vasis arteriosi proficierentur, à quibus filaments tot efformantur arteriolæ tam exigui diametri, & ita tenues, ut inspicientes oculos effugiant. Igitur à vasis arteriosis filaments illa, sive arteriolæ enascuntur, à quibus variis circumvolutionibus corpus glandulosum compingitur, nimirum arteria primò scinditur in plurimos ramulos cum nervo comite, & vena, indè ab arteriosis ramulis filaments illa minima protuberant, quæ post varias revolutiones in alia vasa minima degenerantia secretoria vasa efformant, è quorum indè coalitu commune secretorium fulcitur. At mirum est quomodo filaments locentur, quem ordinem servent in eorum circumvolutionibus, quo itinere nervus per dicta filaments se explicet; decussantur enim invicem in suis flexionibus, & nervus semper arteriam comitatur in ingressum glandulosi corporis, & in primis arteriosis divisionibus ingreditur, ultra quam partium exilitatem minimè licet oculo intueri.

De hujus filamenti vasculosi contemplatione, ut certior fierem, in arterias meseraicas per aliquot dies maceratas croceam tinturam injeci, & statim illa, quæ filaments nuncupavi, flavo colore tingi conspiciebantur, quod fieri non potuisse videtur, si filaments illa ob arteriae meseraicae ramulos tintura inflatos non flavescendo turgent: ex qua eleganti meditatione fateri cogor filaments illa ab arteriis enascentia totum quasi glandulosum corpus

pus efformare. Hæc omnia fideliter observata Ruyschianis experimentis maximè conveniunt. Quantum autem ad ea, que spectant ad observata Malpighii, timeo clarissimum virum in lapsu humanitatis incidisse, scilicet intra vesiculam membranaceam vasa retis ad instar locari quidem, annuentem; at id quod vesiculosum nuncupavit Malpighius, membranam, vasa, & filamenta intelligerem; cavitatem verò & interstitia ab ipso Malpighio observata, suspicor ipsa glandularum inania præternaturaliter, seu morbosè fuisse constituta; ex quo cum Pitcarnio deduco, inter arteriam evanescentem, & nascentem venam, nullum intercedere spatum, quod possit aut pro partium poris, aut pro glandula haberi, nec interjacet glandula media inter venam, arteriamque, officiis, aut poris, figura diversis instructa: sed glandula illa secretionibus dicata, est pars eorum canarium, qui nervum, venam, arteriamque efformat: idcirco ab arteriarum ostioli oscula venarum protuberant cum arteriis continuata, quarum venarum surculi arteriæ flexu versus cor replicatæ videntur.

Investigatis instrumentis, in quibus elaboratur animalium secretio, excogitandum est naturæ artificium, quo illa utitur, ut secernibiles humores à sanguinis confortio extracentur. Steno salivæ à sanguine secretionem explicaturus, fingit venarum contractionem glandulis inharentium à nervis hac ratione datis, ut in constrictis venis sanguinis motu moram trahente serosior ejus pars in glandulas transcolaretur. At hanc mechanicas disciplinam non curans, aut contemnens doctissimus vir curiosam investigationis ideam, nullæ tamen ni fallor demonstrationi innixam pensitavit, cuius ingeniosissima opinio illis placuisse videtur, quibus explicandi ratio juxta mechanicae leges non arrisit. Si attendatur cum Borello venam arteriæ comitem esse duplo majorem secundum diametri dimensionem, concipietur fieri oportere, ut à nervis non possint ita coarctari oscula venarum, ut evadant arteriarum diametro minora: unde influat necesse est dato impe-

tus momento sanguis per ora venarum non tanto obice restrictionis contranitente, ut retrò urgeatur. Immò si arteria cum comite vena sit continuatus canalis, ut demonstrant cum Picarnio ingeniosissimi Anathomici, fieri non posset, ut nervorum filamenta per venarum tunicam distributa continuatis fibrillis per arteriam non dispergantur (si septum aliquod inter finientem arteriam, & incipientem venam non intercedat, quod secet fibras arteriarum in longitudinem extensas) quibus brevioribus factis, & in contractione detinentibus venam, simul arteria constringitur, quo vel nulla fit secretio, vel minimè hac ratione major.

Alii ut faciliùs ineant negotium, fermentum in glandulis intùs hærens salivales humores elaborans somniarunt. nomine fermenti hîc intelligitur motus intestinus particularum mixti, quæ propria vi motivâ in motum concitæ, vel alterius corporis advenientis impetu rotatæ sese mirè exagitant, ex quarum mutua turbinatione subtile, & minus inertes sese quaquaversum explicant, quæque tamen à crassioribus implicitæ usque adeò detinentur, donec crassiores partes à subtiliorum nisu plurimum subactæ, singulæque ad gradum exaltationis evectæ dissolutionem, alterationem compleant. Hanc actionem fermentativam clarissimi viri mordicùs defendunt in glandulis operantem, & ut faciliùs in tutam semitam inciderent, cuicumque glandulæ peculiarem liquorem ingenitum assignant, qui in animali primo nascente in diversas glandulas fertur, insitaque vi ratione suæ congruentiæ jugiter in iisdem glandulis permanens sanguinis partes per has glandularum angustias delatas constim immutat in suæ indolis fluidum; quam opinionem convellere oportet, atque aliam in re rationem, si theoriam secretionis per se nobilem, & philiatris necessariam ab abjectis conjecturis, fœdaque hypotheseos inconstantia vindicare exoptamus. Actio fermentativa si in homine detur, potest quidem motu illo intestino, remota particularum cohærentia, mutatisque gradibus nisu diversum cohærendi modum producere in mixtis, partiumque heterogenearum

nearum unionem dissolvere , ita ut corporum minima componentia non nisi in simplici contactu se tangant ; at tamen hoc pacto fluidorum subactæ particulæ . ut deserant contactum aliarum molecularum , quæ secernendæ non sunt , ut in unum coeant , (cum in fluidorum natura non ita facilis excogitanda sit attractio , ac electrica vis) nova causa diversa à succo fermentativo requiritur , quæ esse non potest , nisi determinatus impetus sanguinis , & gravitas specifica fluidorum cum solidorum viribus , & connisu proportionata , à quorum mutua vigoratione ab invicem rotatæ particulæ separari possunt . Non exigui sunt momenti , quæ Borellus de motu animalium contra hanc fermentativam secretionem adducit . Quoniam sanguinis moles non coalescit ex indivisibilibus , sed moleculis quantis figura diversis , oportet , ut ex intestino mixti motu & vertiginosis motionibus agitatæ , atque contrariis rotationibus concussæ ebulliant , rarefcant moleculæ ipsius mixti , utque loco cedant advenientibus particulis , & motu contrario rotatæ accurvant ad replenda loca ab exeuntibus relicta , qui vertiginosi motus ebullitionis , commotionis , & expansionis in fluidis fieri nequeunt , nisi aliæ particulæ super alias excurrant , quod certè natura , licet subtiliter agat , in minimis , & subtilissimis arteriolarum filamentis in circinos glandulosos convolutis , fieri non posse videtur . Quare absonum est sub rapido , & celeri motu , quo sanguinis massa per fistulas glandulosas propellitur , ejusdem moleculas ab insito glandularum fermento subreptas ebullire , atque rarefcere .

Concesso hoc fermento urget Mechanicorum decus Bellini . Si una quæque solutio fieret per peculiare fermentum suum , hoc ipsum fermentum vel repararetur ab aliquo liquido animalis , vel non : si ab aliquo liquido , cum à se ipso reparari non potest , indigeat oportet alio fermento , & hoc ipsum altero usque in infinitum : si verò non reparatur ab aliquo fluido , erit igitur insitum momento generationis in aura seminali contentum , quod cum per totum vitæ spatium absumi non potest , erit per illud tempus

ingenerabile, incorruptibile ; sed alteretur fermentum glandulis peculiare , uti in lœsis secretionibus sœpè videre est, cum à se ipso in naturale fermentum restitui non possit , ab alio reparandum erit, & hoc ipsum ab alio reficiendum : ecce infinitas fermentorum. Si verò per totum vitæ spatium alterari non potest, antequam moriatur animal, nunquam vitiabitur perluentium humorum secretio, quorum immutabilitatem observatio practica redarguit.

Verum qui hanc de fermentis hypothesim amplexi sunt , ultrà quod in circulationem sanguinis blaterant, cum ab insito glandularum liquore sanguis præterfluens aliam induat naturam , coguntur re ipsa profiteri, corpora fluida in contactum nitentia , sibique cohærentia in aliud abire compositum non posse, nisi mutetur partium se invicem involventium cohærendi modus , ut à primo contactu removeantur , vel in prima positione oblique vel perpendiculariter posita per directiones suorum motuum non sustinatur , ex quibus demùm fit, ut (nisu in contactum determinati gradus , & determinata positione particularum in lineis suarum directionum plurimum mutata) dicendum sit, cohesionem primam eorum corporum in aliud cohesionem à prioris cohesionis vi diversam abiisse : Nam eorum directiones sunt ab invicem variatæ, nec ipsa corpora persistunt ad contactum in ipsum primò nitentia , non solum per lineas motus , eodem modo , ac primo ad invicem positas urgentia. Quoties igitur liquidum immutandum erit in aliud liquidum , fermentum , ut cohesionis vis mutetur, debet directionum motus , & nisu in contactum immunuere, vel augere , nec poterunt partes cohærentes momentum suæ cohesionis mutare , nisi præstò sit corpus fermenti , quod intimè sese partibus in contactum nitentibus, & inter se cohærentibus immiscendo , easdem à linea suæ directionis , à gradibus nisu in contactum urgentibus, atque à contactu primo dimoveat , ut in majorem , aut validiorem quocumque modo diversam cohesionem illas urgeat , quod cum requiratur admixtio fermenti in particulæ fluidi , per illa vascula se rapientis , nisi determinetur à diversis

versis solidorum, & pressionum momentis à circumpositis fibrillis in motum constitutis, fermentatæ moleculæ eodem directionis motu in glandulas sisti, itaut in ipsas particulas allidens mutuo cum impetu facultas non sit major illarum momento, non poterunt licet in fermenti naturam mutatae in glandulis sequestrari.

Quod si sufficient solidorum impulsus, & diversæ circumpositorum fibrillarum pressiones, ut cohæsiones particularum occurrentium mutentur, qui fit, ut tanquam necessarium constituatur ad animalium separationes fermentum? sufficere autem ad cohæsionem partium removendam suadet facultas illa, qua mutuò invicem cohærent miscibilia, quæ licet contranitens cordis impulsui, solidorum oscillis, fibrarum circumprimentium connisu, cum tamen sit minor illorum momento, non poterit in eadem positione, & contactu fluidi corpuscula detinere.

Ut evidenter ratio mechanica pateat, qua cohæsionis mutationi, & contactus remotioni facultatem illam contranitentem viribus impellentibus, & atterentibus resistentem ab iisdem superari ostenditur, inquirenda est causa illius resistentiæ, quæ à corde superatur, cuius vis motiva musculi cordis juxta celeberrimi viri Borelli calculus, cum superet suo momento resistentiam totius sanguinis arteriarum, & fasciarum, earumdem dilatationem impedientium, non solum major est vi ponderis 18000. librarum, sed ejus absoluta vis musculum constringens, in quo à fibris cordis quasi ad mutuum contactum devenientibus compressa fluida ad minima dividuntur, atterunturque, ad totalem vim, qua sanguis in arteriis expulsioni resistit, eamdem proportionem habet, quam unitas ad sexaginta; cuius demonstrationis calculus, licet non evidenti demonstratione ostendatur: tamen si masurentur resistentiarum aggregata, quæ sanguis patitur, dum fluit per angustissima capillamenta gracilescantium canarium, in quibus nulla ferè pars contenti liquidi est, quæ non perveniat ad usque contactum superficie canalis, quæque per brevissimum canalis vectem dimoventur cum majori resistentia, quæ cre-

scit, tūm quia liquidum fluens per angustiores canales plures contactus invenit, cum, ut constat ea Geometricis, superficies minoris canalis major sit, quam superficies majoris proportione molium, tum quia sanguis fertur per mille flexiones varias canalium, qui illic texuntur in rete, hīc in spiram circumvoluti incurvantur, mirisque modis implicantur, in quorum singulis flexionibus novam semper patitur resistantiam, exerat cor oportet tot vires in singulis contractionibus suis, quot sufficiunt ad superandum insignem resistantiarum cumulum, quæ cum iisdem arteriis contranitentibus sanguini à vi cordis superentur, dum sanguis per exilitatem, & ramificationem vasculorum suprà omnes resistantias à cordis contractione truditur, faciliùs me allico, quamquam tædii, ac laboris impatiens, magis diligentia, atque aliorum industria, quam mea instructus, ad internam cordis fabricam perpendicularam, quod perinde est, ac naturam, & vires causarum, quæ ventriculorum contractionem producunt, ad examen revocare: in quorum constrictiōibus cum actio cordis tota consistat, sufficiat ventriculorum nisus considerare, qui, dum contrahuntur, sanguinem eorum constrictione prementes, partem eorum motus ipsi communicant, ob quam impressionis, & motus communicationem sanguis movetur, urgeturque in circulum. Impressionis igitur motus integris cordis viribus debetur, quæ ventriculorum viribus separatim sumptis debent esse æquales: at ventriculi sinistri vires, ni fallor, ut inquit M. Furin in Biblioteca Anglica Gallico idiomate conscripta, vim ponderis novem librarum æquant, illæ dexteri sex; igitur integræ cordis vires minores non erunt vi ponderis 15:^m librarum; igitur sanguis, licet non propellatur, & urgeatur à vi juxta Borellianum calculum determinata, movebitur tamen à vi 15. libras æquante, qua pressionibus cordis subjicitur, & à vivido fibrarum suarum elatere ad partes propellitur.

At quoniam cordis vis quæ determinata est nequit impetum illum sanguini imprimere, quo ipse sanguis superare omnino possit tot implicatorum vasculorum resistantias,

per

per quas canaliculæ circumvolutiones perpetuo fluit, refluitque, nisi præstò essent aliae facultates motrices, quæ novum suprà fluidas particulas momentum exercent: Proinde in cordis subsidium omnes fibræ ut parvi vectes systaltico motu, & pressionibus liquida in gyrum pellunt, & ulteriùs urgent; ab hoc igitur tum solidorum, tum fluidorum impulsu, & connisu poterit cohæsionis vis immutari, aut nisus particularum in cohæsionem nitentium planè tolli, etsi non admittatur imaginarium, atque commentitium chymicorum fermentum.

Verùm quam dubio, & infirmo fundamento innitatatur quisquis fermentis hisce suffultus secretionis opificium enucleare satagit, concipitur à sanguine in motum agi ulla fermentatione non posse. Quod autem sanguis à fermentatione non moveatur, ex eo evincitur, quod spiritus ardentis in distillatione non exhibet, acres quidem, & urinofos, sed oleofos, atque ardentes omnino nullos. A solo itaque aëris elatere, & spirituum animalium irradiatione cor excitatum in circularem motum cum pulsu arteriarum sanguinem exprimit: at non intestino motu ebullitionis, & effervescentiæ illum exagit, si nomine ebullitionis non intelligimus motum illum, quo sanguis ab axe ad latera, à parietibus allis ad axem vasorum repellitur, ut fusque deque in vertiginem agatur, quæ sanè ejus incalescentia, atque ebullitio, si intrà vasculorum ductus ob fermentationem excitaretur, ab incisa vena protinus emicaret. Quod si sulphur inesse aliquod sanguini innuas, ut unum ejus fermentationis principium, cuius particulae sulphureæ indesinenter in corde accensæ totius vitæ nostræ curriculo effervescentias renoverent, utque in tenuissimum spiritum dissolutæ cum aliis liquoribus exalentur, aliqua febrili inflammatione, ubi sanguis ex toto accenditur, enormiter exaltatae, immò ab ista conflagratione in undequaque glicsentem flammatam adactæ, si per biduum pabulum nutritum huic flammæ deficeret, cum quod seniel fermentavit, fermentationis motum non ineat amplius, deberent sponte quiescere, quod cum non contigat, dubietatem fer-

mentorū prorsus demonstrat, & eorumdem utilitatem pulcrè convellit.

Explosa ut minus rationi consona fermentorum hypothesi in medium producta, nec illa vetus scholarum sententia, qua glandulae per facultatem attracricem secretiones à sanguine promovent, vel per electricam vim humores separant, admitti potest per saniorem philosophandi rationem; nam sanguis à partibus non attrahitur, sed vi cordis contractili, & vasorum resilitioē compressus ad partes propellitur.

Pitcarnius verò, cui nec chymicorum fermentum, nec mechanicorum cribrum arrisit, sed mechanica magis, & Geometriæ nuper recepta conformior explicandi ratio, secernendum liquorem à sanguinis consortio, hac arte contrà cribratores directa determinatam in glandulis exposcentes figuram expedire conatur, quæ ferè tota in hoc sita videtur, quod si fluidum vi impetus gravitatem ipsius fluidi superans in cavitatem tubi adigatur elàstici, & facile cedentis, orificium ipsius tubi in circulum abeat: cum impetus fluidi æquali vi per lineas longitudinis tubi, & ad latera ipsius perpendiculares expellat parietes ad æqualia undique à dato axis puncto intervalla, quæ æquale impetus momentum substinendo paria evadunt. *Si fluidum magna vi hoc est fluidi gravitatem multum superante in cavitatem tubi adigatur, manifesta ratione evincitur, & multiplice experientia confirmatur, motui tubi in longitudinem conjungi semper impetum in tubi latera perpendicularem, qui ipsa ab axe motus undique nititur extrorsum propellere, idque vi æquali: quia nulla fingi potest ratio, quare major esset versus unas partes, minor versus alias, nisi quæ à partium fluidi gravitate peteretur, quam nullius momenti assumpsimus præ magnitudine alterius vis fluidum impellentis, & si latera sint flexilia, elàstica, & facile cedentia, tum fieri non potest, quin effectus suos consequatur impetus, expellatque latera ad æqualia undique à dato axis puncto intervalla, eaque tantæ longitudinis, ut diductorum laterum tensio, & elàsticitas, subsustinendo impetus momentum, jam pares evaserint; quo casu quam primum induisset figuram tubis, & postmodum in aliam mutabitur, cujus sectiones omnes*

nes ad axem perpendicularares necessariò erunt circuli majoris vel minoris diametri, prò majori, vel minori fluidi impetu, laterumque majori, vel minore flexilitate in diversis tubi locis. Tales verò flexiles tubi sunt vasa corporis animalis universa, per quæ cordis machina fluidæ omnia propellit ea vi quæ propulsorum gravitatem longè superat, hæc Pictcarius. Cum igitur sphæra sola sit inter figuræ solidas, quæ datum orificio pertransit quolibet situ ad illud delata, & solus circulus sit inter figuræ planas, qui admittit cujuscumque figuræ corpus, dummodo diameter corporis non sit major diametro circuli, dedit, fluida, quæ separanda sunt, nullam deposcere figuram sibi propriam, & constantem, cum glandulæ circulares ex se cuicunque figuræ secernendæ accommodentur, dummodo vires cordis impellentes ad occursum orificii ad cohæsionem partium fluentium tollat. Expendamus modo ingeniosissimum quidem tanti viri ratiocinium. Quoniam impetus fluidi in aliqua cavitate contenti, ad hoc ut ab ipsa axe æquali vi undique nitatur extrorsum propellere tubi latera, exigit, ut motus fluidi, quo impellitur per longitudinem tubi, æquet impetum ad tubi latera perpendiculararem, qui impetus ab axe ad parietes tubi perpendicularis æqualis esse non poterit motui tubi in longitudinem, quotiescumque motui fluidi in longitudinem opponuntur, & hiant ductus aperti (quos Pictcarius in demonstratione non supposuit) qui fluido concepta vi in cavitatem tubi adacto egrefsum cedant, fit ut dempta plenitudine, & totali inflatione ipsius tubi, impetus fluidi ad latera nitentis eludant; ex quo colligitur in glandulis nullum fieri à sanguine impetum, ut diducantur latera earumdem in circulum æquali motus rectæ vel obliquæ directionis momento: Cum fluidum in cavitatem glandularum propulsum transeat per diametrum orificij non majorem diametro canalis excretorij, non erit majoris molis, quam quod poterit per ductus illos eliminari. Verum licet corpus glandulæ, ejusque orificio ex tunicis distractilibus, & facile cedentibus fibris coalescat, ut possit, si cæteris datis, in circulum abire: nihilò tamen minus si ductus excretorii oscula non

conniveant, aut obliterentur, glandula non migrabit in sphæram, cum pressio liquidorum ad latera minor sit quam eorumdem nisus recta incedens, nec sanguinis impetus infringatur ab hiantibus ductuum excretoriorum oris in glandularum corpore sitis, ut illius imminuta rectæ directionis velocitate ad parietes augeatur impetus, non fiet ut æquali nisu diductilia latera undequaque premantur à secernendo liquido, quod sepe prius ejaculare conatur linea recta ad perpendiculum per tuborum oscula aperta, antequam ab axe ad angulos rectos momentum in glandulæ parietes æquale exerceat. Igitur ab impetu sanguinis ipsius gravitatem superante nulla in glandulis figura sphærica evincitur. Ut autem in dubium non revocetur ostensio propositionis, sufficit aciem intendere oscula glandularum hiare, nec hiare solum postquam fluidum fecit impetum, sed hiare ipso momento temporis, quo fluidum impellit. Hinc licet nisus villorum osculi glandulosi nullo contraponendo impeditus sit continuus ad contractionem, & nisi extendatur à fluidis currentibus, aut in eo contentis, ob pressionem cujuscumque liquidi ad contactum suarum fibrarum carnearum excurrentium perpetuò ad contractionem tendat: Tamen fluidorum motus omnino directus à perpetua solidorum oscillatione, dum urgendo extendit fibras cavitatis glandulosæ, & in illas æquale momentum impulsione exerit, quia æquales resistentias non invenit, in fibras minus contranitentes, quæ sunt illæ orificii glandulosi, primò in easdem propagatur ejusdem impetus, qui cum in illas propagari non possit, nisi dilatetur diameter osculi, fit ut simul, & semel ab eodem urgente fluido extendatur cavitas glandulæ, & excretorii ductus osculum, antequam diductilia latera eodem nisu urgeantur, quæ cum premi non possint ab eodem impetu, primò aperietur excretorii ductus orificium: & licet non aperiatur ipso momento temporis, quo fluidum impellit, aperietur saltē, antequam colligatur ille impetus in parietes, qui illos in circulum abire cogat. Partes minus resistentes esse fibras orificii excretorii in cavitate glandulosa ex eo patet, quod non

non solum à minimis fluidi guttulis, cunei vices gerentibus, & sese insinuantibus inter spatia orificii nullo fibrarum nexu firmata, ab illarum pressione ita urgentur, ut sustinere illam percussionem non possint, sed etiam quia opposita, & se invicem agentia latera orificii nullis fasciarum fibrillis, ut cæteræ cavitatis glandulosæ fibræ, irritiuntur, quæ pluribus fibrarum ordinibus, & fasciculis compinguntur.

Urget tamen Pictcarnius, si *corpus recipiendum sit orificio minus*, & intra illud possit accommodari, adeò ut omnes sectiones per plana orificio paralella sint minores orificio dato, tum non solum *corpus*, sed infinita alia cujuscumque figuræ orificium illud poterunt subire; & quamvis maximam corporis sectionem similem ponamus, & æqualem figuræ orificii dati, quia tamen diversissima corpora eandem secta nanciscuntur figuram, per idem orificium diversissima poterunt transire corpora, sive per idem *vas* secernens diversissimæ derivari secretiones. At nonne sagacissimus Auctor exclusis quibuscumque determinatis figuris sphæram admittit? & tamen secretiones plures, & longè diversas per idem orificium celebrari non sinit. Sic inquit, per idem orificium circulare transit non tantum sphæra, cuius sectiones similes sunt æquales circulo orificii, sed conus & cylindrus super æquali basi, & per idem orificium transibit, & pyramis, & prisma, & conus, quorum sectiones maxime per plana orificio paralella sunt triangula æqualia, & similia triangulo datum orificium comprehendenti. Ex quo deduco cum annularis cylindrus solus sit inter figuræ, quæ admittit cujuscumque figuræ corpus quomodocumque situm, modo corporis maxima diameter non sit major diametro annularis cylindri, multò plurimas, & longè maximas necessariò fieri fatendum erit, quam si glandula determinatæ figuræ admitteretur, quod est contra artificium subtilissimi Pictcarnii. Unde licet conus, & cylindrus in æquali basi per sphæram possit transire, non transibit tamen fortasse, si simplici contactu in cæteras particulas non nitatur, & in minima divisus ut ad secretionis opus requisita velocitate polleat.

Quoniam minima solida diversimodè inter se compli-
D 2 cata,

cata, & motu intestino agglomerata fluidum constituunt, hæc ipsa juxtâ molem, gravitatem, figuram & cohaesioneis momentum vibrationem suscipiunt. Si v. g. supponamus in eodem fluido particulas corporeas non omnino dissociatas, sed concatenatas inter se, sive propter varias figuras sese mutuis amplexibus tenentes, sive quia anguli unius corpusculi inter cavitates alterius insinuati non possunt liberè vagari, ita ut concipi debeant veluti vectes, qui ab una parte impelluntur à premente, ex altera retardantur à resistentia, quæ contrario nisu resistit impulsui ipsius prementis, tunc quidem particulæ illæ in spatio fluido actione contraria adhaesioneis retardatae, prementis viribus impulsæ impetus à premente impressos successivè retardant; & hoc pendet ex labore, quo colliguntur prædicta corpora, atque resistentibus viribus, quæ immuniendo vim ipsius prementis particulas à contactu non dimovent, & prædictas machinulas à secretione divertunt. Quia verò corpus istum suscipiens pro diversa situazione ejus diversimodè impulsui illato resistit, fit ut actio percussiva varietur pro diversitate resistentiæ à situs variatione procreatæ, & hæc est secunda causa, à qua impetus energia ipsius percutientis, & resistentia corporis diversificatur.

Si postea impetus graduum impressorum inæqualibus corporibus ab eodem corpore percutiente, & ejusdem viribus mensurentur, erunt quidem eorum velocitates quodammodo proportionales magnitudinibus corporum impulsorum, sed corpora illa inæqualia, quæ impelluntur ab æqualibus viribus motivis inæquali velocitate movebuntur, & velocitates illæ duorum corporum inæquallium eamdem proportionem habebunt, quam unum corpus habet ad aliud in ratione gravitatis, & molis. Hinc evidens est, cum corpus fluidum variè contextum diversisque particulis combinatum transferatur à virtute communicata, & propagata à projiciente, dum modò per medium fluidi ab impulsu fertur, modò revolvitur horizontali vertigine circa suum centrum, modo particulae

centri-

centrifugæ excurrunt contra directionem motus ejusdem fluidi, non posse æqualiter impelli, ut æquales sustineat impetus, sed longè diversas minimorum solidorum solutiones subire, ut in plurimis particulis sit in minima divisum, alias simplici tangens contactu revolvatur; & hæc est prior ratio, quæ ope determinati motus secretionis leges observat; sed ajunt canalis omnis suo liquido plenus cum contrahatur à facultate posita ad contactum laterum omnium nitente intra contentum liquidum, & exerceat sua momenta in canales animalium villis circularibus in superficie eorumdem canalium dispositis, contextos, qui villi circulares æquè distantes canalium orificiis contrahuntur per illam ipsam aream circuli, ad cuius circumferentiam ponuntur, erunt non solum momentorum æquilibrium, sed series globorum liquida componentium, dum per canalia fluunt, cum æquo nisu villos canalium contractiles impellant, & in ejusmodi circuli diametros æqualiter nitantur, canaliculi illi in conicos, aut cylindricos abbunt, quorum coni, aut cylindri in circinos circumvoluti erunt glandulæ circularis diametri. At licet momenta facultatum contrahentium canales omnes in genere sint æqualia, seu villi contractiles æquè crassi, & dispositi per veram circumferentiam circulorum in fluidum æque nitantur, & liquida solum æquè premant, incredibile est, quantum hæc communiter admissa in prodigiosis glandularum productionibus à veritate distent. Artificium naturæ, quo illa tititur ad glandulas producendas subtiliori fortassis mechania fulcitur.

In summis arteriis protractio cylindrica glandularum inflexa in spiram, & intexta in reticulare opus est filamentorum glomer, quæ flexionibus variis, in quas hi idem rami veniunt, per corpora glandularum implicantur in textus inexplicabiles, eorumdemque spiræ ob inexplicabilem illam diversitatem positionum innumerabilibus ramorum ramis ad usque altimas, qui universam arteriarum ramificationem texentem glandulas constituunt, invicem decussantur, implicanturque in mille anfractus ita rotatae arte-

riolæ, ut filum earumdem, quod successivè glandulæ advolvitur, non veniat in eumdem locum cum filo jam advoluto, sed ipsum secet in decussim. In hac apta superimpositione filamentorum, & spiris arteriolarum ad se invicem indè decussim positis, atque diversimode se secantibus mirabili artificio villi contractiles advoluti superficie in mutuum contactum nitentes contrahuntur premendo in puncto contactus superficiem canaliculi inferioris conici, aut cylindrici; Ex horum mutua canalium positione, & nissus directione fit, ut cum momentum, & pressio superincumbentis vasculi non sit minus momento inferioris resistens, superficies vasculorum conica, aut cylindrica quasi in planam decussata abire cogatur, adeoque fit ut eorumdem villi contracti per plana, ut notum est ex Geometricis, tangentia planum immissarii glandularum non constuant verum circulare orificium, tam affabre contextum, ut tota glandula in arteriolarum ramis evadat in figuram exactè sphæricam.

Recensita aliorum sententia, & sphæricarum figurarum in glandulis necessitate, eaque in dubium revocata, nullas tamen æquabiles, & constantes inter pororum diversitates, vasorumque orientium in animalis contextu ajo esse figuras. Orificia glandularum non solum majoris, vel minoris diametri ratione inter se differre, sed figuris diversis ita efformari, & compingi, ut à diversa fluidorum pressione, à diverso solidorum renisu possint ita distrahi, ita comprimi, restringi, dilatari, convelli, ut si non omnes figuras æmulentur, saltem cuicunque figuræ accedant: quapropter fas sit dicere in separatione fluidorum aliquam proportionem filtri cum fluidis requiri, & vires cordis propellentes cum aliqua ad orificia glandularum pressione, quæ superent ad occursum oculorum cohæsionem partium fluentium, quod expeditur determinata sanguinis velocitate, quibus omnibus mechanicorum dissidia dirimuntur, ita ut nec cum Borello, & Poristis, nec cum Piëtcarnio integrum litigium habeatur.

Quoniam sanguinem componunt minimæ solidorum mole-

moleculæ diversimodè inter se contextæ, certisque miscibilibus præditæ, ideòque nexu, ac gravitate distinctæ, ab eadem vi cordis impressa minima illa fluidi componentia diversum velocitatis gradum, ut superius ostendimus, suscipiant oportet, quo fit ut à concepto impetu ex fibris contractilibus cordis, vasorumque compressione sanguinis moleculæ mutatis positionum directionibus, vel arcto corporum contactu relicto per arteriarum conica, vel cylindrica canalicula fluent, & per ipsa ad glandulas salivales delatae, dummodo diameter maxima particularum fluidi separabilis non sit major diametro orificii, in obvia glandularum oscula separabuntur. Exigunt tamen, ut sint in minima divisæ juxta Borellum, Piæcarnium, & nuper virum maxime doctum Michielлотum, quæ non tenaci nexu, sed simplici contactu uniantur, ita ut una quælibet earum possit agitari, fluere, circumvolvi, aliter motis lateribus, alio enim modo salvare non posset facilitas illa, quæ fluidi partes leviter cohærentes, & non determinato impetu allisæ superare possunt orificiorum resistentias, & inter diductos poros fese intrudere; quarum solutiores partes ab axe arteriarum per latera vasorum discurrentes, & non separandas partes simplici contactu tangentes, si arteriolis occurrerint glandularum latera nitendo oblique contraintentia, ipsarumque molecularum impetus non erit minor orificiorum viribus, nec major, ut tempus licet indefinitely parvum habeat (ad liquorem enim in aliqua glandula separandum sejunctionis tempus, licet indefinitely parvum, requiritur) in oricia vasorum impingent, & in hiantia oscula intrudentur.

Quodcumque fluidum in arteriis præexistens à sanguine separandum ab ipso fluido abscedere non poterit in ductus glandularum secretorios, si sanguinis fluentis velocitas ad ipsas glandulas talis, ac tanti momenti non erit, ut possit glutinamentis associatas moleculas dividere, & partium implicatarum nexum laxare, atque imminuere. Mutuis nisibus igitur sanguinis rotatis particulis, & vertiginofisis motionibus agitatis à variis pressionis, & lationis momentis fiet,

fiet, ut sanguinis solutæ moleculæ modò à pressione fluidorum ad latera vasorum impingentes, modò à lateribus repulsæ per axem revolvantur: hinc à tergo supraveniente impetu propulsæ, eundem semper directionis nisum, & impetus gradius habere non poterunt. Ubi autem canaliculum arteriosum conicum, aut cylindricum cum Bellini plicatum in plicas, vel in longitudinem extensem, fluidum separandum impinget, atque sufficienter vasorum oricia impellendo extendet, apertis osculis applicabitur.

Quod autem quæcumque sanguinis velocitas velocissimè currentis, aut pigrè arterias transfluentis non sit sufficiens ad separationem, non modò se dilatantibus, verum se contrahentibus vasculis, ea ducor ratione, quod corpora diversæ gravitatis vi æqualis pressionis impulsa sæpissimè velocitates, atque directiones inter se diversas suscipiunt, & conservant. Sic observo dum globulos plumbeos, vel grana frumenti diversæ gravitatis, ac molis manu projicio, licet gravibus motus imprimatur æqualis quantum ad projicientis vires, in eis tamen velocitatem, & impetum primum non conservari, sed alia recta incedunt, alia oblique vagantur, alia velocius moveri, alia tardius cursu rapi prospiciuntur, servata tamen eorum velocitate reciprocè proportionali magnitudinibus, & gravitati corporum impulsorum. Hinc sicut impetus projicientis diffunditur in alata corpora, & communicatur projectis; ita eadem in diversis gravitate, ac mole sanguinis moleculis ratione imminuitur, vel augetur. Sanguis igitur cum non uniformis sit, sed constet ex particulis diversimodè figuratis, (corpus enim fluidum, simulque continuò fluens, licet in omni punto divisibile componitur ex particulis terminatis, & quantis) & quamquam infinitè parvis, & divisis, tamen mole, figura, & partium cohesione diversis, ut dubitandum non sit plures fluidorum proprietates, ac naturas pendere à diverso cohærendi modo, à structura, configuratione, ac motu molecularum sanguinem componentium, ita ut particulae aquam componentes hac ratione similes inter se sint, atque diversæ ab eis. quæ oleum componunt;

ponunt; harum infinita miscilia partium parvitate maxima pollutia diverso gradu velocitatis instructa, & diverso nisu, & causis in projectis corporibus impellantibus æquali impetu inæqualiter operantibus glandulas alluunt, quorum velocitatis momenta debent commensurari corpusculis sanguinis gravitate diversis, & inæqualiter iœci cordis, & solidorum oscillis resistentibus.

Sanguinis igitur moleculæ per axem arteriarum fluentes illas partes resistentes non offendent, quibus allabentes vasorum latera occurunt. Arteriarum tunica quarta interior tenuissima fibrillis in longum protensis villos annulares tunicæ præcedentis ad rectos angulos secantibus, contextitur: Hujus fibrillæ non possunt ita concatenari, ut internam superficiem scabram, & parietes vasorum inæqualiter lævigatos non constituant, adeoque sanguis particulis collateralibus retentus non poterit excurrere, & extricari, quin miris in modis per plana horizontalia, vel inclinata variis iœci bus flectatur, indèque circumvolutus minimarum asperitatum confractionibus ita impeditur, ut iœcius illatus particulis sanguinis in latera nitentibus à corde, & impellantium corporum impressâ velocitas ratione contactus excurrentis projecti impetum retardantis debilitetur; quod evincitur non solum in liquidis fluentibus extrâ animalium canalia, sed etiam in liquidis per ipsa animalium vascula fluentibus, quæ dum fluunt per canales in linea, quæ maximè distat à canarium superficie, majori velocitate rapiuntur, quam si fluerent per lineam, quæ magis accedit ad eamdem superficiem, in qua plures adesse possunt causæ, per quas eadem liquida inæqualibus motibus agitantur in partibus suis. Ex hac inæquali agitatione fit, ut eadem partes sanguinis nunquam semper sistantur ad contactum, & in aliam lineam abeuntes mutent positionem in centris suis, excitanturque proindè non solum in diversam motus directionem, sed deflectentes à laterum contactu majori momento agantur. Unde inæqualitas illa momentorum à positione seriei globorum liquida constituentium consurgit, ex quo fit, ut eadem partes nunquam certo loco sistan-

mir ad certum semper contactum ; ob quam motus inæqualitatem, positionem variam, & vim liquidum perductum ad immissarium, si ita dispositum sit, ut partes ejus anteriores in latera trudantur, nitetur quaquaversum in superficiem ejus internam, & in ipsum emissarium incidet obliquè, & separabitur.

Sint ulterius particulae corporeæ aliæ cohærentes, aliæ sese tangentes ut acervus arenæ, (si lubet merè fluidum cum fluidis, & humidis comparare) quæ diversis resistendi modis vim impulsivam projicientis à tergo urgentis imminuunt, eamque retardant. Resistentia quæ primis infert pendet ex glutinosis fibris, quibus implicantur prædicta corpora, atque vis divisioni resistens est illa : quæ retardationem infert velocitati ipsius projecti, posteriores verò si sint talis figuræ, ac lævitatis, ut possit una earum inter alias excurrere, & contorqueri, tunc quidem propulsæ insinuantur inter alias, & exercentes actionem cunei in alias particulas resistentes insinuantur, quæ non solùm impetum projecti retardare non possunt, sed resistentias particularum superius expositarum continenter imminuunt. Fit igitur retardatio tardius, aut citius, prout plures resistendi modi in sanguine concurrunt, quæ resistentia constat ex innumeros peculiaribus retardatiunculis una post alteram confectis, à quibus omnibus contraria reactione, ac repulso, vis, & energia, iactus, & impetus enervatur.

Ex hoc diù perpendens cum doctissimo Viro Michieloto, quod ut fluidum separetur, debet esse divisum in partes, quæ non habeant rationem majoris inæqualitatis ad minimam osculorum orificii diametrum, & quod hæ partium divisiones se in puncto contactus tangentium oriantur ex mutua fluidorum collusione, se invicem atterentium, & compressivo solidorum conatu, colligo, quod hæc partium solutio debet imminui imminuta fluidorum attritione, & solidorum nisu, & cum hæc omnia debilitentur, vel augeantur debilitato, vel aucto motu, patet in debilitatio motu, vel aucto imminui, vel augeri liquidorum secretiones ; igitur non quæcumque velocitas ad quam-

quamcumque naturalem separationem fluidorum, sed determinata requiritur,

Corpora insuper, quæ separanda sunt, non solum niantur invicem in aliorum contactum, sed ipsa se contangent cum nisu, ut repugnant remotioni ab eodem contactu; cum illa determinata positione contactus persistent corpora in eadem cohæsionis vi; quorum corporum cohærentium directiones à mutua obliqua, vel in directum posita, aut perpendiculari situatione non avertentur, quo usque illa corpora eodem nisu in contactum, eodemque directionis momento in eamdem positionem nitentia, in eadem cohæsione persistent. Mutatis igitur gradibus nisu, & variatis positionibus directionum, atque corporibus à contactu cum nisu urgente remotis, non solum mutabitur directio nisu, & gradus motuum, verum cohæsionis vis plurimum mutabitur, cuius simplex in contactu cohærendi modus necessarius est ad perficiendum artificium secretionis. Machina autem hujus operationis à mutuo nisu in contactum cohærentes fluidi moleculas removentis, & impedimenta illa arripiens, ob quæ in canalibus à separatione prohibentur, est impulsus liquidorum in solida, & solidorum nisus, & renis in fluida, ex quibus omnibus fit demùm in textibus reticularium arteriarum sanguinis solutio maxima, ob quam colligatæ particulae ab eadem cohæsione ita divelluntur, ut sanguis superatis plexibus retiformis, non solum conservata solutione, quam subit intrà cordis ventriculos, & pulmones per totam canarium longitudinem, vasculorum ambagem, & contorsiones ad usque plexus retiformes, verum eadem solutione in eisdem plexibus plurimùm aucta glandulas facile ingrediatur.

Cum autem mutua particularum cohæsionis vis, & unio à parietibus cordis allisa, pulmonum pressione concussa, & solidorum viribus, & oscilli, diffractis vinculis in minutissimas moleculas dividatur, poterunt mutuis contactibus diversæ particulae uniri, & varia filtra pro diversa indole, ac modificatione, quam situs, positura, ordo,

& particularum combinatio permittit, separari; unde cum cor semper eodem gradu nifus, & solida quæque non nitantur in fluida, cohæsio illarum partium ob diversum impetus momentum excurrentibus miscilibus impressum ab occurrentibus resistentiis plurimum modificabitur, à quibus simul sumptis immediatè dependet sanguinis solutio major, vel minor. Hinc si minuetur solidorum impetus, & vires, augebitur nifus partium in contactum, unde sanguis non solum in eadem cohæsione persistet, verum in maiorem, & validiorem unionem promovebitur, & hoc subito fiet, si vis illa, qua coherent partes, sit momenti majoris, quam momentum solidorum atterentium. Posita autem cohæsionis vi, & plurimum promota, cum ad separationem requiratur simplex cohæsionis contactus, evidens est, vel nullam, vel tenuem admodum fieri secretionem. Ex hoc deducitur, ad quamcumque separationem non sufficere quamcumque sanguinis velocitatem, quia potest dari ille gradus velocitatis in sanguine, qui non solum sufficiat ad particularum cohæsionem divellendam, verum talis gradus nifuum, qui easdem in contactus maiores cogat, quo simul velocitatis gradu retardato validior sanguinis cohærentia promovetur.

Cum igitur, ut ostendit insignis Bellini proposit. 20. de motu cordis, facultates contrahentes moventur, canales figuram mutent ea ratione, quam secum fert proportio velocitatum, quibus eadem facultates intrà canalem moverunt, & proportio illa velocitatum pendet à momentis, quibus facultates instructæ sunt, & cum momenta in canalibus pendeant à crassitie villorum, à quibus facultates illæ constituuntur, facile intelligis, quo momento contractionis opus est ad hujusmodi velocitatem acquirendam in hac, aut illa arteriarum parte, quo indè addisces, qua crassitie villorum opus fuerit, ut tale habeatur contractionis momentum, quod cum determinetur à diversa villorum crassitie, non solum inæqualis habebitur directio motus, tūm solutio sanguinis major, vel minor, sed tūm figura in glandulis plurimum mutabitur ea ratione, quam secum fert propor-

portio velocitatum fluidorum, & positio solidorum, eorumdemque contorsio, & resistentia. Quapropter sanguis cum juxta majorem, vel minorem divisionem ortam à conuisu solidorum & reactione fluidorum particulas conglutinatas dissociante, & inertes atterente, majori, vel minori in glandulas impingat velocitate, fit ut diverso gradu velocitatis instructus per varia viscerum filtra præterfluens congruis vasorum separantium orificiis fluidorum impetum recipientibus apponatur; hinc indè à pressione particularum à tergo urgentium impulsus in dispersis viscerum glandulis substantias deponit; & quoniam ab impetu primo sanguini à corde impresso, ejusdem molecularum velocitas, atque solutio debilitatur non solum à proportionali arteriarum afferentium, & venarum deferentium resistentia, verùm occursum resistentium varietate, nimirum ab arteriæ spira, & cono, à mole corporum fluentium, pondere, & elatere comprimentium impeditur, promoveturque: ideo per totas animalis lacunas, & viscera sagax natura disposuit filtra, ut diffluentium molecularum impetum, & diversas fluidorum solutiones sibi proportionales reciperent. Hinc quamcumque sanguinis glandulas percurrentis velocitatem ad secretionem animalium sufficere redarguunt partes secernendæ, quæ debent esse actu divisæ in minima, ut se tangant simplici contactu: repugnat enim sanguinis separandas moleculas esse actu divisas, & simplici se tangere contactu, nisi admittatur illa velocitas, qua conglutinatæ partes dissocientur, quæ debet esse directè quodammodo proportionalis illarum cohaesiōni.

Quis inquam est mentis tam præjudicatæ, quod quotidie non videat ab accelerata, vel imminuta sanguinis velocitate accelerari, vel imminui liquidorum separationem? si quæcumque sanguinis velocitas ad quamcumque humorum separationem sufficeret sine ulla prorsus figuræ diversitate, explicari non posse videtur, quomodo producatur ieterus absque filtri separantis injuria, quem sanè vidit Sylvius cap. de Itero à spiritu volatili, potuque generosiori

absque ductus biliarii obstructione productum. Bilis enim à spirituum copia in fluorem nimis evecta ob sui motus accelerationem in acinis hepatis glandulosis minimè coercita, ad vascula majoris resistentiæ, & sui motus impulsu proportionali defertur, in quorum conis, & spiris retuso impetu, & corporum elatere comprimentium immunita motus acceleratione ad cutanea loculamenta inficenda sibi viam sternit.

Sic quando sanguis præter rationem tardius currit, tardius quoque procedit evacuatio. In puerperis observante Balgivio superveniente febre ardente lochiorum fluxus supprimittur, eodemque febris incendio lac evanescit in mammis, reditque remisso calore febris. Igitur cum Piæcarnio, & laudato Michielloto à Borello, & cribratoribus Mechanicis glandularum orificia datæ figuræ corpus tantum recipientia admittentibus dissentior, quoniam omnis glandula ex tunicis contractilibus, & distractilibus, & facile cedentibus machinulis coalescit: Quibus non sufficientibus requiruntur mutati velocitatis gradus, acceleratae, vel retardatae percussione impetus, qui à corde sanguinis miscibilibus impressus, juxta molecularum ad motum resistentiam, quæ à corporum cohæsione, vel gravitate dependet, augetur, vel imminuitur. Attamen quid curiosi, quid mirabilis natura parit in crassis, tenuibusque liquidis separandis sollicitè inquirentes ingeniosissimi Viri ultimam in hac re mechanicam eruere non potuerunt. Nec mirum si in re tam ardua, tam difficiili in dubium manebit, ut Lucretius, quod latet; Ultimæ enim rerum differentiæ ob datorum defectum ad Mechanicæ doctrinæ leges, methodosque adduci nequeunt.

A R T I C U L U S I V.

De usu salivæ.

SI nulli rei destinaretur salivalis latex ab arterioso sanguine per glandulas in os, & œxophagum eructatus, inanis foret naturæ lusus glandularum illa productio à tota cavitate

tate palati erumpentium: quapropter cognitis salivæ dūtibus, & opificio secretionis perpenso, usus ejusdem in œconomia animali eruendus est: Qui enim glandularum secernendæ salivæ maxillarium nempè, parotidum, tonsilla-
rum, tyroidearum, buccarum, palatinarum, & œsophagæarum numerum, è quibus maxima salivæ copia conti-
nuò separatur, serio perpenderit, atque ab eis in ventri-
culum indesinenter exonerari serio considerans, plurimi
momenti esse salivalem humorem à provida natura multis
usibus destinatum, animadvertiset. Hic enim triturationem ali-
mentorum in ore facilitat, eorumdem deglutitionem promo-
vet, sapidam à cibis tincturam elicit, qua sensus gustus deter-
minatur, fauces, & œsophagum humectat, sitim nimiam com-
pescit, ad vocis prolationem aptiorem reddit linguam, ab ejus-
dem cum alimentis in ventriculo admixtione inchoatur
eorumdem dissolutio ad chyli elaborationem ordinata.

Salivale menstruum quosdam à veritate alienos in tan-
tam sui admirationem rapuit, ut solvens mineralibus indè
sibi promiserint, & materiam universam, in ipso tamen
deliramento decepti, quærerarent; horum quamvis fig-
mentis minimè subscribam, activitatem tamen illius lati-
cis evincit elitus sapore ex alimentis momento tantillum in
ore volutatis, cuius miscella eorumdem liquefactio, at-
que dissolutio inchoatur. Dum cibus incisoribus, & cani-
nis diffingitur, in minutæ partes subdividitur, qui mola-
ribus commissus, & hinc indè motu linguae jactatus, un-
dequaque ab effluente saliva irrigatur. Mirari quis desinat
separationem salium tunc contingere, qui ab aqueis salivæ
particulis eliquati vi suæ gravitatis, & penetrationis vim cu-
nei exerentes in membranam nervorum apices obducen-
tem, papillarumque cupulas efformantem pluribus for-
minulis perviam impingunt, & motu linguae vario undique
impulsi, aërisque vi elastica perpendiculariter, & latera-
liter rotati in nerveas lingue papillas adiguntur, quarum
siphunculi lingue implantati, & apice suo erecti angustissi-
mis osculis occurrunt salibus, qui in nervorum surculis
intimius illapsi, aut per organum gustatricis potentiae con-
festim

festim repentes cuspidulis suis ita titillant, certumque motum directionibus suis nervis gustatoriis imprimunt, ut modò constringendo, modò laxando, modò pungendo determinata undulatione afficiantur in nervis contenti spiritus, de quibus motibus anima compos ideam suavis, vel ingratissimam efformat. Hic salivæ actio non desinit, sed ut per continuam dentium collisionem, mutuamque attritionem chyli rudimenta evolvantur, opus erat menstruo aquo salino, quod per contractionem muscularum temporalium, & masticatorum potissimum in actu masticationis compressis glandulis, jugiter in os conflueret, quo usque salinis moleculis plurimo aëre refertis, & gravitate nativis subeundo alimentorum vincula, eorumdem nexus, cohærentesque particulas vi sui elateris exagitando, cum partium intrà alimenti poros coercitarum exclusione commodiùs alimentum ipsum macerare, ac subigere posset.

Cibus ita permixtus, & attenuatus versus fauces protruditur, & priùs ore clauso per constricta labia ope labiorum sphincteris, & arctato oris cavo actione buccinatorum, & zygomaticorum, tumque simul motum cibi urgentibus Basioglossis, & Ceratoglossis unà expresso succo lubrico linguae, & palati, juvante ipsius figura, & superficie, fertur cibus usque ad linguae radicem, ubi appulsus irritando convellit musculos Genio hyoideos, Mylohyoideos, & Stylohyoideos à quorum vi attollitur radix linguae, Larynx, & os hyoides; harum elevatione impulsus cibus epiglotidem deprimit: Hinc relaxato œsophagi spinctere à muscularis Genio glossis, & Genihyoideis ope Myloglossorum, & Styloglossorum truditur cibus in gulam apertam, contractisque fibris tunicæ œsophagi muscularibus obliquè decurrentibus ad principium ventriculi usque promovetur. Illapso cibo in ventriculum à liquore salivæ simili, docente Malpighio posth. 28. ex alimentorum distensione, & compressione tunicæ glandulosæ ex pluribus ramusculis elicito, motus intestinus massæ conciliatur, ut facilius liquefcere, dissolvi, ac subigi possit à fibris muscularibus, aliarumque tunicarum ventriculi atritione, & pressione,

sione, quorum auxilio, & diaphragmatis cum musculis abdōminis inchoatæ ingestorum solutiones, ambientium viscerum calore fovente intimius comminutæ quasi in partes ultimæ compositionis resolvuntur; Velsi Listerum audiamus, ut saliva intrà alimentorum inania coërcita virtute septica expeditius alimenta in chylum resolvat, à cuius acri adurenti, & putrescenti natura concoctu difficultia putrefescunt, & macerantur.

Sed non solum saliva variæ naturæ cibos ob salinam quam habet substantiam, vim cunei exerens, omnes penetrando digerit, incidit, ac solvit: Verum perenni hoc fluore irrigatæ ventriculi tunicæ ejusdem salibus in contractio-nis motum validiorem excitantur, qua ratione in debito tono cum plicarum crispatione, ad facilius expediendam triturationem, detinentur. Perenni hoc salivali liquore humectantur fauces, interiora oris, & œxophagum, madore laxantur, irrigaturque lingua, ut assiduo motu vocum exsucca-ne reddatur, alias rigida facta cum faucibus arescentibus, motus flexibilitatis jacturam facientibus anilis Trachææ, vocem ederet difficilem, ac raucam; non irrigatis enim fistulæ pulmonaris salivali humore fibrillis aër hinc illinc ab anulis non leviter concutitur, sed in latera illorum impulsus fortiter repercutitur, quod non aliundè videtur fieri, nisi quod rigidæ fibræ asperæ arteriæ, dum vi percussionis aëris aliquatenus è loco suo distractæ conantur sese restituere, aëri rigidum tremorem imprimunt, adeoque raucus vocis resonat sonus.

Quamquam, si gustui credendum, insipidus humor videatur saliva, contrarium inculcat Galeni experimentum, scilicet scorpionem jejuni hominis sputo bis, terve aspersum protinus interire. *Saliva hominis inquit Aetius tract. primo serm. XI. reptilium venatorum generi maximè contraria est. Ego enim citrà omnem incantationem ex solo jejuni sputo scorpium pereuntem vidi.* *Omnibus hominibus inest venenum, feruntque illos salivam, ut ferventis aquæ contactum fugere, quod si in fauces penetra-verit, etiam mori: idque maximè humani jejuni oris.* Plinius. lib. 7.^o Et tamen omnibus contra serpentes inest venenum, feruntque iectus salivæ, ut ferventis aquæ fugere contactum: At intelligenda est jejuni hominis saliva, quæ utpote acrioribus salibus referta, veluti


aquaे ferventis contactus, serpentes fugat; inflictum quoque à serpente vulnus, si confessim salivâ illiniveris, non lethaliter s̄eviet, sed cohibitum venenum, nec ulterius diffusum sponte evanescet: Hinc Lucanus lib. 90.

Nam primum tacta designat membra saliva,

Quæ cohibet virus, retinetque in vulnere pestem

Venatores serpentum, ut Aldrovandus de insectis lib. 1. statim ac illos cepere, saliva confricant, cuius contactu præeunte Marco Aurelio Severino de Vipera non tantum vilescit violentia veneni, sed si in os illorum diductum expuas, saliva in eorum ventrem delata tantæ feritatis illis est, ut sensim contabescant. Hac ratione nimirūm partibus suis salinis confricatæ curantur lichenæ. Saliva hominis jejuni est medicamentosa; etenim in saliva adest virtus abstersiva in ulcerisculis, licet minori gradu, quam quæ sit in sarcoticis. *Levis papula, ait C. Celsus, si quotidie jejuna saliva defricetur, sanescit.* Saliva cancrum mammarum ob suas subtiles attenuantes moleculas discutere valet, ut docet Paulus Ammanus Med. Critic. & ratione alkali acido herpeti contrario addit Schenckhius herpetem curari. Salivam robur afferre infantibus inquit Mathiolus in 2. lib. Dioscoridis. Pustulas Crato, scrophulas Hildanus salivam resolvere promittunt; & si animus esset mihi referre, quæ apud Auctores perlegi, quos reor, aut deceptu faciles, in quorum re alii decipiuntur, aut denique vanæ gloriae, atque ostentationis nativa hominum indole affectantes, in multo grandiorem admirationem facili negotio rem tumefacere possem. Verum sollicitus fui, non plures narrationes conscribere, quas vel invicta mea ad credendum innata tarditate assensum meum extorquere non sensi, quæ nondum exploratae non videntur iis probabiliiores, quam quæ irritæ jam deprehensa fuerunt. Quæque hujusmodi salivæ experimenta scrophulas, nodos Gallicos, Cancrum mammarum resolventis, nusquam reperire dentur, præterquam in quorumdam auctorum vana jactantia, tumentibus libris, atque promissis, ut quisque, ni fallor, experientiis deprehendet, quam parum eventus sui conatus laboribus, & illorum assertionibus responderint.

DE



D E
S A L I V A ,
E T
SALIVATIONE PRÆTER NATURAM.

C A P U T II.
A R T I C U L U S I.

De Vitio salivæ in quantitate.



Actenus salivæ humanæ natura, secrezione, & usu, qua licuit perspicuitate, investigato: proximum nunc est, ut ejusdem statum morbosum solertiùs excutiamus.

Quando à naturali crasi, & molecularum nexu deflectit saliva, humani corporis harmoniam subripiens, alienis imbuta particulis, morbosisque infecta miscilibus, à naturali statu recedit, majori, quām par est, labe sanguinem afficit, cuius varia constitutione fluidorum partibus variè labefactatis chronicorum, acutorumque affectuum luctuosus sàpè panditur numerus. Ut igitur horum morborum idea certior, atque clarior percipiatur, à re longius non erit, vitium in aucta quantitate breviùs exponere, quod ad investigandos exactiùs ipsius morbos, plurimùm conferre videtur.

Peccat saliva in quantitate, quotiescumque subtracto sanguini nutritio pabulo, perenni fluoris ad salivales glandulas appulso, confertim è ductibus effluens in ore undequaque exundat: cuius effluxus jugiter profluens nullo gravium symptomatum comitatu, nullaque saporum malitia conjunctus pthyalismus vocatur.

Si alimentum succi gastrici inertia, laxa tunicarum contractione, viscerumque circumpressione ruditer in ventriculo elaboratur, non evolutis sulphureo-balsamicis particulis in chylum aquosum nimis facebit: qui in sanguinem delatus, & per omnes cavos fibrarum tubulos cum sanguine circumductus (cum fero-saquaosæ ejusdem moleculæ à solidorum impulsu ad fibrillas appelli coactæ, ex defectu gelatinosæ portionis nutritione indigis partibus non apponantur) necesse est, ut aqueis particulis turgidus ad superiora trajectus in glandulas salivales transcoletur; Quæ laticis separatio, cum intra ipsas glandulas subsistere non possit, à pressione particularum confertim succendentium, & jugiter ad glandulas confluentium, retroque urgenter in os indesinenter derivatur.

Porrò mirum est, si oricia, ac tubuli glandularum diametro gaudeant juxtà ampliori, una cum tumore jugularibus venis incumbente in colli lateribus, repremente sanguinis refluxum, quantum secretionis penum adaugeant. Hæc pororum compages dilatata, ac tubolorum vitiosa amplitudo à laxa fibrillarum cohærentia exorta, salium nisu, & machinularum terebratione à proprio termino recendentium ita distenditur, ut dehiscentibus glandularum osculis à stimulo solidis inhærente irritativo, & salium cuneis tuborum villos vellicantibus perperam labascat. Harum minimi fibrarum fasciculi ad ampliora spatia redacti, si impetus sanguinis augeatur, & à confluente humoris copia novi distensis tubulis edantur impulsus, vel si salium spicula stimuli vires exerceant, ab invicem divelluntur, ut conatibus salinorum cuneorum discissis fibrillis cum suo connitus momento non valeant superare fluidorum impen-
tum,

tum, ab impellentibus liquidi moleculis in nimia distractio-
ne coërcentur tubuli, & ordinatarum partium mechanis-
mus fatiscet, atque exefis vasculis penè destruetur. Undè
denegato in glandulas spirituum animalium affluxu, illæ sym-
metria, tonoque partium attritæ, nec naturali tensione,
debitoque elatere munitæ turgentibus particulis aqueo-chy-
losis ad glandulas appulsis minimè valent contraniti, san-
guinisque impulsui resistere nequeunt, ut undequaque non
irrumpat salivalis humor, & depluat. Hoc in flaccescen-
tibus glandularum fibris ab infartu, & pressione nervo-
rum cum largiori affluentis salivæ copia, atque in ægris in
utroque latere paralysi affectis, sæpè videre est.

In scorbutica diathesi maximè calidiori, quoniam ob
salinas in fluorem evectas particulas, quicquid inest san-
guini, est acerrimum, tenue, atque urens, sanguis non po-
tis est novum chylum sibi assimilare, ideoque quia colli-
quari cogit ac fundi quicquid in fluxum agitur, partes
chyli gelatinosæ in orbem sanguinis circumductæ à salium
cuneis nimum solvuntur, adeòque suo naturali lentore
destitutæ liberè vagantes per corpus sanguinis continuo flu-
xu per glandulas salivales excernuntur. Præ nimirum hâc sa-
lium, & acredinum copia glandularum diametrum disten-
dente, non tantum saburra veteris effœti, & inutilis chyli,
verùm etiam novi, & oleosi major portio in ipsas glandu-
las continuò depluit. Irritatis enim villis nervorum ten-
duntur capillares arteriolæ, undè fit major fluidorum ap-
pulsus, quæ dum in distractiles vasorum tunicas impetus
faciunt, ex earumdem distractione restitutis villis vigora-
tur renis in contenta fluida, quo fit, ut aqueo-serosa
portio per validiorem sanguinis motum ad glandulas uber-
ior delata, à solidorum pressione, & fibrarum oscillatione
magis commota, in pervia glandularum ostiola irrumpat,
& abundantiorem salivæ excitet affluxum. Hic exproban-
da est sputatorum connata consuetudo, qui sola expuendi
libidine alliciti, ut vilius fæcibus cunctis excrementum
continenter salivam effundunt; quo spuendi conatu, &
perpetua musculorum contractione irritatæ, & compres-

ſæ glandulæ ſollicitantur jugiter ad novam, & uberiorem urgentur excretionem.

Cauſæ externæ, quæ quantitatem ſalivæ adaugent, in ſex rebus non naturalibus deprehenduntur. Aēr enim ut frigidus particulis nitro-salinis ſegniūs rotatis, nec ſatis evolutis plurimis refertus poros cutis premendo effluvio-rum corporis insensilem transpirationem inhibet. Ut humidus aqueis moleculis turgetcens lenteſcentis ſanguinis ſolutionem, laxando fibras imminuit, ut indè aquoſa portione ſanguinis adaucta urinæ, & alvi excretio, & non raro largior ſalivæ efluxus promoteatur, ut Sanctorius animadvertit: *Aēr externus per arterias in profundum corporis penetrans potest reddere corpus levius, & gravius, levius si tenuis, & calidus; gravius si crassus, & humidus.* Cibi admodum aquoſi, ſomnus, & quies naturalia excedentes ſtadia, excretiones aliarum partium imminutæ humoralem maſſam inficientes, hiſce accendentibus animi mœrore, & timore diuturno coctionis opus labefactante, ut affectiones cum motu fluidorum momenti minoris coniunctæ, & conſtrictivæ vaſorum influxum, & liquidorum attenuationem hebetantes, ſalivæ materiem accumulare videntur.

Cum igitur in ſentuum omnium silentio, & torpore cum membrorum illa concidentia, quæ ſomnus vocatur, neceſſe ſit in decubitu horizontaliſ ſitus, ut laxetur fluidorum compages, & remittatur tensus ſolidorum tonus, nil mirum ſi laxiori reddita ſanguinis cohæſione, ibidemque magis enervata fibrarum elasticitate, licet ſanguis in perpetuo ſit motu, currat hinc indè, recurratque per membra vario ab inferioribus ad superiora, & contrà vim innatæ ſuæ gravitatis ad superiora pelli cogatur, tamen per muſculos, viſcerum lacunas, viaſque partium obliquas, curvas, & flexuofas tricas languidiūs trajicitur, & filtratur, quibus gravitatis ſuæ contrariis motibus debilior reddita ſanguinis compages minori vi ſolida impellit, cuius languida vibratione, & diminuta impulſione magis, ſemperque magis relaxatur partium ſolidarum robur, ex quo fit plus æquo progrediente ſomno, ut fluidum ad illam perveniat motus

motus determinationem , quæ ad secretiones singulis in partibus peragendas idonea non est , donec tandem non acquisito à singulis sanguinis moleculis proprio gravitatis centro , nec ad naturale æquilibrium perductis plurima congeratur humiditas , quām , necessarium ad retinendum solidis , & fluidis amissum ob laxatam compaginem robur , restituendum ineptam , nimiam salivam inde suppeditantem passim experimur . Hinc solvitur nodus , cur melancolici sputatores existant . Quoniam melancolici in vanis cogitationibus defixi , atque inhærentes tristia cogitantes , ea que pensitando timentes , impediunt ne spiritus impetus facientes in fibras cordis contractiles , in eisdem motu conciti exerant elateris vigorationem , quæ uberiori spirituum affluxu destitutæ debiliori impetus nisu se contrahant , ex quibus languescente magis sanguinis motu per vasa , imminuitur ejusdem attritio , atque hebetatur per glandulas transpiratio , debilitatur cordis , & vasorum motus . Unde tenues , & sulphureo inflammabiles sanguinis particulæ crassioribus implicantur , donec humorum illuvie quasi obrutæ , & veluti carcere detentæ coërciantur . Ob hanc partium cruditatem in fluorem vitiosum evectus sanguis faculentias aqueas ad salivales ductus deponit .

Ob nimium hunc salivæ proventum balbutie plectuntur infantes , quorum fibrillarum tonus mollis , atque raræ texturæ salivæ copiosioris affluxu humectatus sic labascit , ut cum nativa muscularum linguae , atque palati flacciditate cuicunque sanguinis , & spirituum appulsui facile cedente , minus concinnè , & serò perfectè enunciare addiscant . Ab hoc vitio affecto Battu Regi , qui Cyrenas in Africa condidit , de sua balbutie Oraculum Delphicum consulenti , Pythia imperavit , ut in Lybia Regione calida vitam degeret , sic Herodotus . Ad hunc censum refertur deficientia vocis in aphonis , quorum laryngis musculi à nimio aquei humoris proventu ita enervantur , ut fibris carneis resolutis flaccidi , & inertes fiant ad motum . His laxatis sonitu per fistulam pneumaticam à motu lateribus annulorum non alliso , nec hinc inde varie repercusso , qua aëris

aëris verberatione, & inflexione vox efformatur, æger nullam valet vocem effari. Manifestum hujus rei eventum refert Tulpius lib. 1. observ. cap. 39.

Si verò hæc aquosa salivalis menstrui copia à glandulosa ventriculi tunica jugiter exprimatur, sua aquositate liquorem gastricum ita inficit, atque inertem reddit, ut chylificationis opus plurimum labefactetur, menstruo particulis aqueis perperam referto alimentorum contextu reluctante. Inde sensim collectis cruditatibus vitiosis fibrillæ stomachi debilitantur, laxatur tonus earumdem nimis, obtruiturque sanguis, in quo copia humorum aqueorum exundans parum alimenti ad attritos solidorum villos ducentur, quod sit naturali simile, & alendo aptum, sed quicquid ad partes adducetur, erit planè aquosum, cogetque sanguinis massam iter suum lentè per totum corpus absolvere, ut habito respectu ad modum quo sanguis propellitur, ad spatum, & velocitatem, qua percurrit, & vascula perluit, impossibile sit, quin resistentiam illam offendat, qua eodemque impetus momento occlusa vasculorum lateralium, & villorum ora permeare possit, ita ut nec à systaltico fibrarum motu major tenuiores sanguinis partes ad cavas lacunas possint urgeri ad vectes fibrarum inflandum.

Quoties igitur sanguis per repetitos circuitus ruditer attenuatur, effœtus erit crassioribus partibus, & aqueis, adeoque illo motu urgebitur, quo impetu non poterit ferri ad collapsos sacculos nutriendum, cum major sit nifus in contactum nitentium minimarum tiliarum fibras, & canicularum componentium, quam sit irruentis sanguinis impetus. Quare particulae illæ aqueæ minori, vel majori cohesionis vi unitæ eam molem, & directionis momentum habebunt, quo per poros carneæ substantiæ permeare non poterunt; unde cum reliquo sanguine ulterius circulantes venas pervadent, & fucatae nutrioni eo usque inservient, quo usque male aletur animal, & cachexia contingat, Hinc fiet, ut solida ad tantam imbecillitatem redacta fluere quaquaversum permittant humores aqueos, qui in cavitibus

tibus majoribus, vel vasculis cutis membranosis collecti, vel ad partes robustiores appulsi lentescentes validam generant obstructionem, ut in durum tumorem attollantur partes ad contactum venarum, ductuumque lymphaticorum positæ, à quo vasa illa tenera coarctata, & compressa, cum liberum transitum præbere non possint lymphæ, vel chylo, indeque continuo appulsi novi liquoris ad partes vasorum compressas tendentis, & præterfluentis tergum prementis ultrà tonum naturalem distensæ tandem rumpuntur, ob quam vasorum exilium rupturam in habitum corporis serum effluit. Ab hac pituitosorum humorum in stomacho accumulatione ibi necente moram convelli potest ventriculi musculus à majori spirituum copia per nervos fluente, ut enata fibrarum inferius ventriculi constrictione contenta per os ejiciantur, vel nausea, si inanis, & solus erit vomendi stimulus, producetur. Quòd si afficiantur rami nervorum ventriculi cordi communes, ut per ipsos fiat refluxus vividior, & copia spirituum naturali major, & frequenter ad cordis auriculas, spirituum energia easdem in perpetua contractione detinendo, superans pressionem sanguinis affluentis per truncos venarum majorum eludet impletum ejusdem ad ventriculos tendentis, undè à sanguinis pressione non referatis auriculis, sed in contractione persistentibus, intercepto sanguinis, & cordis motu, succedant oportet languores cordis, & animi deliquia.

Si verò chylus nutritius in sanguinem continuò delatus alitioni partium ineptus, effeto succo indè massa sanguinis veteri saturata per glandulas salivales copiosa succi nutritii jactura indesinenter erumpat, per hanc succi euchiymi subtractionem tota sanguinis massa oleoso balsamico pabulo privata acescit, & turbato ob indebitam nutritiō nem liquidorum cursu in varios siccitatis morbos delabitur: ob quod minimam musculosis partibus nutritionem præbens, cum partium solidarum colliquatione incalescens totius corporis atrophiam inducit, cui calor hecticus in toto habitu paulatim subrepens in omnibus partibus soli-

dis accenditur. Hinc calidum, & acre sanguinis serum per molle & glandulosum pulmonum parenchyma continuò trajectum, eos tandem infartu aggreditur, inflammat, exulcerat, quo fit ut atrophia, quæ erat in habitu corporis, in tabem pulmonarem paulò ante fatales dies, terminetur.

Verùm si chylus per ductus salivales jugiter excretus naturæ incassum in sanguinis reparationem continuò suppeditetur, ne ab hoc perenni chyli effluxu depauperetur, & incalescat sanguis, adeò ut insigniter languentibus viribus à nimia subtractione succi nutritii in statum lethalem, & insanabilem redigatur, ad usum diuturnum lacteæ dietæ æger relegandus est, quo sanguis lenitur, & salia stimulanta demulcentur. Deinde aëri aprico, & benigno commissus, liberali, sed cauto ciborum euchymorum usui resarciantur, ut inde aquas minerales chalybeatas bibendi non impar fiat, quarum beneficio massa sanguinis sensim emolita, etiam succi nutritii colliquatio sensim evincitur; atque inde non tantum à salivatione æger, verùm etiam sanguis à salina acri diathesi vindicatur. Pthyalismo autem hisce incassum advocatis incertis intervallis recrudescente, cum insigni virium deperditione, æquè, ac per glandulas salivalis seri colliquatione, rite continua salivæ deglutitio in symptomatum allevationem præscribitur, qua non tantum salivationis progressus, verùm chylus per ductus salivales excretus, naturæ in fluidorum reparationem pedetentim remittitur. Si saliva unicuique non cogitanti sponte in os confluat, atque copiosius eò alliciatur ob ductus salivares patentiores, laxioresque quam par est, existimo oris collutione, maxillarumque fomentatione ex subadstringentibus, & blandè aromaticis decocto posse curari, tum internè modò laudata subadstringentia commodè usurpari, quorum ope paulatim arctantur, ac roborantur ampliores viæ, dummodò desuescant ægri à continua spuendi libidine in consuetudinem perperam adscita.

ARTICULUS II.

De Salivæ defectu.

COgnita quænam ex largiori salivæ affluxu expectari mala possint: nunc juvat in salivæ inopia excutere noxas. Nam non minus ab excessu concidit hominis sanitas, quam à deficiente salivæ penu labatur.

Vitium salivæ excretionem invertens plus minùs impediens, vel penitus inhibens nunc glandulis, & tubulis excretoriis inhæret, nunc in ipso salivali latice, motuque sanguinis deprehenditur; ut si enumerare hîc vellem ingenitum morborum seriem, & maximè chronicorum, qui à sanguine salivali humore non suffecto pendent, serò dicendi finem facerem.

Nativa tubulorum salivalium angustia, humor viscidus salino fixus glandulas infaciens, ac porulos opprens, vasculorum compressio oscula occludens, minimarum arteriarum crispatura glandularum cava, & tubulorum ora coarctans, aut diameter earumdem nimis connivens, ac tumore aliquo extus incumbente compressus viam salivæ præcludunt, quæ à conniventibus salivæ ductibus quoquo modo obstructis, aut compressis, ne secernatur præpedita, licet cum sanguine confertim profluat, tamen cum ipso circumducta ad alia filtra circumvehitur, in quibus secretionum pensa adaucta, glandulis diversis committitur. Quod si chylus jugiter in sanguinem irrepens salivalibus non turgeat particulis, nulla prorsus materies glandulas trajectura per carotidum divisiones cum sanguine ascendet; Igitur in toto deficiet saliva, ut sæpè occurrit in ardentib[us] febre correptis, in quibus sitis extingui non potest, ac siccitas summa non solum ad fauces, sed per universum corpus diffunditur: in quibus cum calor intensior absumat quicquid humidi ingeritur, & cum sanguinem diluentes moleculæ aqueæ evaporentur, sanguis privatur ea materia, quæ corporis partes humectat. Tamen si ulla inhæret san-

guini serosa portio, à singulari solidorum ariditate statim absorbetur, quæ inter duas quasque particulas introducta permittit fluere idem liquidum, quod alioquin subsisteret, nisi ab aqueis sanguinis moleculæ disjunctæ essent, quæ à concitato motu ad minima divisæ, & à congradientibus aqueis particulis ad summum solutæ ob turbatam, & confusam fluidi mixtionem diverso cohæsionis modo combinati, diverso à naturali impulsu, nisuque rotati, secretionum leges non observant, unde propulsæ à validiori, & celeriori cordis contractione, dum majus suprà glandularum obicem contranitentem exerunt momentum, non solùm in reticularibus illis canarium textibus sanguinem vehementium factam solutionem conservantes, sed à nodis glandularum, & vasculorum lateribus in ulteriorem solutionem promotæ, citius ora venarum ascendunt, quām oscula ductuum offendant. Quòd si satis liquidi non turbato motu exagitati in sanguine hæreat, sed generetur lento in arteriolis materiem salivæ deferentibus ad glandulas oris, & faucium, tamen nullus dabitur affluxus humidi ad easdem partes, igitur siccitatis sensus, & sitis. Si verò non assumentur ex toto liquidum, effluet è glandulis salivalibus saliva viscidior, quæ in os derivata producet infartum in villis linguae, & faucibus harentem.

Inter causas externas occurrit aér particulis siccioribus, & calidioribus refertus, qui in sanguinem indefinenter impulsus crassiora attenuando, & extus ut ambiens leviter comprimendo glandularum cutis folliculos à fluidorum appulsi facile expansiles, videtur diaphorismus augere. *Aér calidus, nisi obstent cruda* ait Sanctorius, *juvat quoque perspirationem*, & aqueo serosas particulas aliò divertit. Aér enim superincumbens cylindrulis suis gravitat, ac premit partes sanguinis, quæ dum leviter mediante aëris interni elasticitate compressæ majorem semper, quem amiserunt, situm omni ope recuperare conantur, facta pressionis aëris incumbentis æquipotentia pressioni, sive altitudini sanguinis majori, vel minori, servata semper proportione specificæ gravitatis liquidorum, dividuntur, subtilliantur-

stanturque. At moles liquida copiosa, & gravis aëris externa non posset cum interno se facilè æquilibrare, nisi misceretur cum mole liquida sanguinis; Corpora enim fluida, ut simul mixta in ratione suæ gravitatis æquilibrantur. Cum autem flante Borea, & cœlo sereno aër gravior sit, quam flante Austro, & calida constitutione, ut Barometro experimur, Boreali enim tempore aër fit densior, magisque compactus, adeoque magis gravis; in Austro verò, & calore magis rario, inde minùs gravis, adeoque pressus gravitate suâ in sanguinem nobis ne advertentibus quidem ingreditur, eundemque sua elastica vi magis aucta, & gravitate sua urget, propellit, atque facillimè in ea loca in quibus minorem invenit resistentiam, & locum capaciorem sese expandendi, impingit. Cum autem capacissimam cavitatem reperiat in cutanearum glandularum lacunis, ubi magnam vim elasticam acquirens, easdem mirum in modum distendit, per quas ad majus spatum dilatatas fit indè, ut ad minima divisis seri moleculis turmatim foras avolare nitentibus minùs resistant aëreæ moleculæ. Rarefacto igitur aëre dilatatis glandulis, ab earumdem systaltico motu promovetur transpirationis insensilitas, & eò magis si serum & aër erunt duo fluidorum cylindruli æqualis magnitudinis, sed inæqualis ponderis ad motum dispositi. Ille enim cylinder primò movebitur, qui gravior erit altero, quoniam primum punctum corporis, quod movetur, est centrum gravitatis, ad quem centri gravitatis motum tota moti corporis moles tendit. Si igitur verum est centrum gravitatis duorum liquidorum æqualis molis, sed ponderis diversi in ea parte residere, quæ gravior est altera, necessariò consequitur, ut ob aërem externum, qui nec levior interno, nec gravior supponitur, æquali gravitate interno contranitens pari energia vim interni substinet, in calidiori temporis constitutione serum ab aëre indissociabile primum, & jugiter avolet. Huc referri possunt hæmorrhagiae, dysenteriae, fudores ab exercitio nimio copiosi, vel colliquativi, largior urinæ effluxus, vigiliæ nimiæ humidum assumentes, vel aliorum copiosè ducentes salivam.

imminuunt. Ira, indignatio, ut effectus cum motu majoris momenti conjuncti, aucta cordis contractione, & sanguinis velocitate, cum saliva suum exigat sejunctionis temtas, poterunt in glandulas derivationem, multoque facilius influxum salivalis liquoris prohibere.

Saliva igitur in sanguine non existens, vel ad glandulas non appellens in os effluere non poterit, undē in ore siccitas, & sitis ad fauces, quæ si diutiùs protrahatur, exsiccabitur magis lingua, ad superficiem maximè, cujus villi tunicam constituentes validè contrahentur; cùm verò corpus linguæ non cedat, sed contranitatur validiùs villorum contractioni, fiet ut hiidem villi divellantur, hīc illic lingua in fissuras dissiliet; quibus si addatur faucium œsophagi, & muscularum laryngis summa cum siccitate rigiditas, prohibita earumdem contractione, quæ ad formationem vocis requiritur, raucedo, vel loquendi difficultas succedit. Quod si ex toto deficiat in sanguine salivalis humor, excitabitur tabes cum siccitate conjuncta, quam in excessu salivæ attulimus, de qua canit Lucretius.

*Jam marcent venæ, nulloque humore rigatus
Aëreos alterans angustat pulmo meatus.*

Ab alimento ope triturationis in pollinem in ore redacto ob denegatum salivalis laticis influxum insitæ salium moleculæ non evolvuntur, ut à laxato ciborum nexu sapida tintura elici possit, cujus defectu non delatis particulis salino-sapidis ad nerveas linguæ papillas sensus gustus ferè concidit. Quo in casu, quoniam imminuta, vel deficiente saliva nullus liquor digestivus à glandulosa tunica expressus eructatur in cavitatem ventriculi, qui vires suas in stomacho convertendo, dūm in ipsius tunicas, & filamenta nervorum impingit, eliquata salina aqueis ramenata in fibras validiùs infigat, ut vehementius stimulatis nervorum villis, internæ ventriculi plicæ inter se mutuò attractantur (in quibus ratio famis consistit) appetitus immunitur vel abolescit. Ingeritur tamen alimentum, nè vires statim labantur, à quo rudi componentium solutione elaborato dependet in ventriculo perperam inchoacta concoctio,

coctio, quæ neutquam in intestinis absolvitur; chylus enim ægrè in stomacho confectus ob principia ciborum activa minus exaltata, atque dissoluta inertibus corpusculis coalescens ad intestina propellitur, ubi naturali earumdem compressione, lenique vermiculatione promotus in sanguinem irrepit, crudus, impurus, falsos exhalando vapores. Quà propter præcordiorum anxietatem, variosque capitis, & stomachi morbos producit. Chylus itaque non absoluto chylificationis artificio, nec in purissimum rorem mutatus, impuris abundans partibus, lactearum papillas impingit; hinc per lactea ad sanguinem usquè delatus fluidorum compagem variè lædit, perpetuòque œconomiæ animati corporis tendit insidias.

Cum igitur parcior quam decet generetur saliva, primò defectu materiæ, quoties ista non reparatur: secundò canalium vitio obstructis nempe, compressisque fasculis, per quæ defertur ad glandulas: tertio glandularum vitio ad munus hoc absolvendum ineptarum, triplex indicationum species insurgit, quæ triplicibus morborum speciebus correspondet. Prima absolvitur alimentis convenientibus, qualia videntur potissimum esse juscula ex tennorum animalium carnibus deprompta, tenuis potus, cerevisia puta diluta, lac, aqua lactis, limacum, caponum, gelatina cornu cervi, eboris, ut indè aquarum usu, & liquorum sanguinem demulcentium sub forma potus copiosa, atque continua eorum ingurgitatione sanguinis siccitas temperetur, quibus exhausta humorum in habitu corporis delitescentium minera sufficta, morbida sanguinis crasis jam penitus verè eversa longo earum usu paulatim restituitur.

Vasorum obstrutio, aut compressio curatur medicamentis attenuantibus incidentibus, quæ crassos simulque lentos respicientia cohærentes invicem humorum particulas comminuunt, impactosque divellunt. Hæc sunt, quæ particulis volatilibus, salinis, acribus, aromaticis, oleifisque scatent, nec non quæ alkalinis absorbentibus, fixis, & lixiviosis amaricantibus abundant, à quibus motus adau-

etus,

Etus, & magis proprius resistentiae particularum quiescentium imprimitur, itidemque cuneus solvendis fluidorum particulis intermiscetur, qui motu, partis tenuitate, & figuræ aptitudine ad penetrandum non solum compactos humores disgregat, verùm sanguini, ac lymphæ fluiditatem denuò conciliat.

Postquam innotuerit glandularum vitium non nisi labore improbo, iteratoque in dies comparatum, illi aptum inveniendi remedium plurimū augebitur notitia, cuius ope, roborantibus externè medicamentis, plerisque aromaticis, salivares glandulæ suffragantur, à quibus si commodum non accipiat æger, melius ferret pinguia, & emollientia, quibus rigiditas solidorum ex nimia volatilitate humoris in glandularum poris, ac folliculi conclusi fibras nimiū corrugante, vel ab acrimonia nervorum fibrillas irritante, adeòque oscula constringente, undè affluxus liquorum inhibetur, paulatim lenitur, atque laxatur.

A R T I C U L U S III.

De aciditate saliva.

SAL in aqua saliva portione delitescens, quoties in libertatem vindicatum, saliva spiritu fatiscente, depressoque sulphure, cæteris præpollens nimium in fluorem evexitur, ejus spicula angulata salina per aqueas moleculas conspersa aliorum miscibilium superato jugo, cæterisque particulis compede injecto, mutata directione ad occursum cæterarum partium coalibrium in proportione remanentium, confertim in linguæ papillas impellunt, ubi in nervorum filamentis validius infixis salibus, sensorii fibrillas acriter titillant, easdem pungunt, atque convellunt.

Hujus naturæ moleculæ cuspidate tereti, & acuta, & dein corpore instar cunei majorem in molem aucto constantes, adeò ut quovis modo sensorii fibrillis applicatae ipsas

ipsas pungendo, & non nihil comprimendo constringant, hunc saporem eminenter ostendunt. Hæc aqueis obvolutæ particulis sanguinis effervescentiam, aut nimiam ejus dissolutionem refrænant, & blando coagulo compescunt. Vel nisi mavis, dicas moleculas acidi esse tetraedras, & non cubas, quæ undequaque suis angulis munitæ, & ab omni parte æqualiter aculeis instruētæ linguam faciliūs vellicent, & quasi pungant. Quòd si aliter figuratas esse contendamus, nimirūm vel læves, vel teretes, fieri posset, ut acidi particularum facies non angulosæ incident in fibrillas sensorii, & sic has non diffingant, nullamque proinde vellicationem pariant, quod omniō est contrā acidorum gustus perceptionem.

Si caulas mediatas rimemur hujuscē crudæ aciditatis, illæ videntur attingi, atque chylo inhærere in primis viis perperām elaborato ob fermentorum inertiam, aliarumque liquorum minorem in intestinis volatilitatem acquirenti; qua quidem depravata concoctione chylus non redditur blandior, quatenus ventriculi humor visciditate donatus in tunicas tremoris motus non inducit, & succi digestivi crasim subvertens, salem volatilem, & aquea alimentorum corpuscula non exolvit, undè non laxatis salium calore meatibus, haud in particulas flexiles læves, atque rotundas, sed ad asperas, & inæquales accedens incoctus, & acidis, aculeatisque particulis tumescit, ex quo non nisi incongruus, atque salium, & acidorum enorūm particulis refertus, massæ sanguineæ, & languentibus solidis committitur, qui per impetum naturalem sanguinis, licet pluribus millibus vicibus per pulmones, & per reliqua viscera, ac partes corporis fluat, paulatim in glandularum lacunis accumulatur, ita ut eodem servato cohæsionis momento per minimas acidorum particulas continuò influat, quoisque sensum aciditatis excitans, & reliqua cum ipso corripiēt, fluidorum præcipuas crases alterare valeat, atque sensim inficere, ut effœto succo jupiter reparatæ labem scorbuticam accersant. Hinc scorbuticorum saliva acida plerumque deprehenditur.

Quandoquidem enim in sanguine depravato recrementa plura acida congeruntur, quām ut diaphorisi, vel per urinam satis secerni possint, quæ ad oris emunctoria ferò irretita detruduntur. Quoniam liquida sanguinis partes componentia, & quæ in cohæsionem mutuam nitentia per motum, quoties in acidas particulas abeunt, transiunt è statu durioris in statum liquidioris corporis, omnes illæ liquidi croris moleculæ, quibus componuntur, in libertatem, & facto impetu diffractis vinculis in motus majores veniunt, à quibus per resistentiam cohæsionis cohibebantur, & producent illos effectus, quos debent ex vi suorum motuum, & figurarum, cuiusmodi sunt pungere, quadam compressione ferire linguæ villos. Elementa igitur seri partes sanguinis componentia non ab intrinseco in ejusmodi solutionem venientia, sed repugnancia, à causa violenta, & morbosa in illam cohæsionis vim coguntur, atque detinentur, quæ ità urget partes ultrò cohærentes, ut à prima cohæsione se se expedire possint, atque totum mutare compositum per illam occasionem, quæ cogit partes componentes ab illa cohæsione cessare, & solutas in novum abire compositum. Quid autem si quid è suave sapidum, ingratè sapidum, ex non acido fiat acidum? nonnè dicetur compositum primum ultrò immutatum, cum effectus, qui in prioris locum succedunt, contrario modo se habeant? sed hujusmodi sunt partes sanguinis componentes, quæ antè illam solutionem sunt quoddam compositum, quod post solutionem mutatur; igitur partes illæ in statu fluidorum salium exaltatæ dicentur mutantæ.

Cum autem nullum compositum per vim insitam destruatur, opportebit, ut vis, quæ salina concreta fundit, sit his iisdem liquidis externa, quæ à solidorum ictibus in salia urgentiori impetu nitentibus deducitur; quarè facultatis illius momentum, quo concrementa salium à mutuo contactu recedunt, & in cuneos acutos coēunt, momento, quo salinæ partes divisioni resistunt, erit majus. Unde partes salia componentes ex vi hujus potentioris causæ

se subducere à fusione non poterunt, nisi tollatur momentum illius causæ agentis, & detinentis ad solutionem, aut addatur momentum resistentiæ componentibus salia partibus, ut cogantur à majori cohæsionis vi non dimoveri. Ubi igitur salis moleculæ adhærentes invicem in medio fluidi per motuum ambages attritæ, miris modis exagitatae, commotæ, contrarioque nisu rotatæ in minima solvuntur, ad eam devenire poterunt angulorum acutiem, quæ superet cohæsionis vim aliarum molecularum summè eventis corpusculis resistentem, & suprà datas partium resistentias vires suas exerentes, exinde ab aliarum commercio liberatae, & præcipue à spiritu volatili dissociatae in salivam turmatim affluent, à quibus ingratiè sapiens, & acescens saliva emanabit.

Aëris vitio salivam acidam induci nullus crediderim inficiabitur; aër equidem pluviosus laxato fibrarum tono poros, ac meatus cutis suo humido infaciens sanguinis effluvia reprimere videtur: *Aér inquit Sanctarius cænosior, & ponderosior, convertit invisibilem transpirationem in icorem, qui retentus, & deinde non resolutus in cachexiam facescere solet.* Ab eodem inspirato salia, ac sulphura redolente spiritus sanguinis valde deprimitur, hinc salino-sulphureis ejusdem particulis sanguinis crasis sensim mutata in mephitim acidam mutatur. Ad talem humorum diathesim non parùm conferunt cibi acidi, sale conditi, acidum foventes occultum, austeri concoctu difficiliores de acidis fixioribus, & succis tenacioribus, ut pisces marini, pastæ farinaceæ, participantes, vina austera, animiquæ passiones.

In qualitate salivæ immutata loco naturalis saporis acida cum magna aliquandò virium laxitudine, & inappetentia contingit, quibus paulatim accendentibus aliis ingruentis mali symptomatis ipse morbus tandem erumpit. Ab acida salivæ impressione in linguae papillis primò depravatur gustus: à particulis nimirūm acido-aqueis nervorum papillæ è poris linguae protuberantes obductæ, acidique innatantibus spiculis salinis lacessitæ ita exagitantur, moventurque validis tremoribus papillarum nervi, ut aliis tremoribus

ribus oscillare prohibeantur, undè ex incuneatis salibus in nervorum fungulis, non flexis nervis in aliis partibus eadem undulatione afficietur gustus organum. A falsamentis istis acidis effœto sero dilutis molles, & spongiosas gингivarum carnes subeuntibus intumescunt fibrillarum earumdem fasciculi, qui dein nutrimenti defectu marcescentes à continuo materiæ erodentis affluxu exeduntur, à quorum putrescentia, & humorum à salivalibus vasis exundantium expiratione graveolentem oris fœtorem olfactamus.

Quia verò ad hoc, ut animal possit ope sanguinis nutriti, non sufficit hunc ipsum sanguinem esse quidem ex alimentis, ac certa earumdem ratione compactum; sed insuper requiritur, ut sit tantæ qualitatis, tantæ nempe molis, ac figuræ, ut ex ipsa derivari possit quicquid fluere debet per nutriendos animalis ductus, & quicquid ad ipsius reparationem exigitur. Hinc fit ut quoties quantitas sanguinis cæteroquin in quantitate nihil vitiat ob aciditatem ita immutabitur, ut per glandulosam palati tunicam ferrans, ejusdemque substantiam depascens ad usque illud aditum, atque intimum progrediatur, ut villi, in quos influit, validius, atque frequentius ab invicem divellantur; undè fibrarum erosio, & ulcuscula in oris cavo luxuriant. Quod si è glandulis non erumpat, sed in canalibus suis subsistendo, eosdemque proinde extrorsum extendendo glandularum folliculos obstruat, vaseaque nimis infarciat, ut motus sanguinis per vasa propulsi fiat tardior, continget tumor, qui sanguine non fluente ad notas leges sui circulatis motus, canales faucium, & gutturis leviter comprehendendo, aut ex toto allabentis liquidi influxum prohibendo, coget villos extendi, & à fluentibus humoribus laxari, undè motus respirationis, & deglutitionis leviter lădens spuriam producet anginam.

Hæc saburra acida cum viscosis in ventriculo collecta dum fibrillas ventriculi nerveas irritat, spirituum animalium influxum non solum ubiorem ad stomachi membranas promovet, verum ventriculi glandulas infarcit, & in mole-

moleculas digestivi liquoris sese insinuans, ità ventriculi fermentum afficit, ut à glandulis expressum, sensum non naturalem producat. In hoc igitur statu non naturali ventriculi per acidi affluxum dabitur ciborum aversatio, cum detur intrà ventriculum id, quod proindè unà cum terreis, ac salinis partibus valet intensius vexare, & ità fibras ventriculi vellicare, ut per illum humorem sese in membranas intrudentem apepsia, vel anorexia succedat. Ex hoc chylus minus fluidior, ac purrior fæculentiis acidis, ac ponderosioribus ad intestina protrusus, delusa omnium succorum activitate, lento intestinalis motu, fibrarumque constrictione ad oscularum lacteorum papillas descendit, quorum orificiorum angustia cum ab illis corpusculis, quæ sunt majoris molis, quam quæ discludere, & superare possint vasorum resistentiam, non deducatur; indè fiet ut à lacteorum capillamentis exclusus chylosus succus non possit minoris diametri chyliferorum oscula ità facile ingredi, sed cum cogatur impingere in profundiores colli cellulas, ab ejusdem plicis excipietur, qui sensim coacervatus infestus evadit, & à massa super affluente ità superque turget, ut fibræ intestinalis sensiles perperam distendantur, & humore contento distractæ, atque incuneatis salibus ab invicem divulsæ, impetuque aculeorum lacerfantæ, corrugationibus valdè molestis, & dolorificis torqueantur.

Ut acidior saliva emendetur, non tantum abstinentiam ab acidorum abusu, sed temperanda plantis plerumque odorem actu ferentibus cum suavitate, ac fragrantiam quandam spirituosam, & aromaticam redolentibus, quæ omnes sulphureis particulis, seu salino-oleofis volatilibus abundant. Horum autem aromaticis particulis depressa sulphurea corpuscula in sanguine excitantur, segniterque commota exagitantur: Hinc coordinatarum partium mechanismus, ac crasis sanguinis quasi fatiscens restituitur: Interim verò cruditas acida ventriculi corrigatur vegetabilibus sale volatili oleoso abundantibus, ejusque fermentum acida quadam, ac terrea constitutione glutinosa tor-

pescens attenuetur, quibus elasticitas fibrarum roboratur, atque iners excitatur digestio.

A R T I C U L U S I V.

De Salivæ salsedine.

Non adeò acuminatis, qualia in salino-acidis apparent, spiculis, salsus salivæ contextus coalescit, sed salso-terreis involutis salium particulis emergit, cubis nimirùm, quæ planorum inclinationibus, & lineis ad plana insistentibus constantes, in angulos rectos coëunt, seroque salivali confertim innatantes laterum aciebus aculeatis sensorium quasi incidendo non nisi salso-sapidum saporem imprimere valent.

Ob angulorum rectitudinem salium moleculæ aqueo latici conjugatae minùs efferam acutiem sortiuntur, atque in linguæ papillas jugiter incidentes minimè poterunt in nervorum propagines vim rigidæ cuspidis exerere, sed acidorum mole majores, lenique motu in protuberantes nervorum fungulos debiliores percussionis impetus exercent, adeòque minùs à rectis salium ictibus patietur sensorium, ex quo fiet, ut nec ab enormi fibrarum irritatione à salium acutie inducta difficitus gustationis nervus, nec particularum oleoso-levium demulcidine oblinitus percipiendæ salsedini se se accommodet. Qua propter opportet, ut massa humoralis scatens serofo-salinis, salsoque acribus particulis abundans plus minùs salis sero solutis per glandulosas, ac pervias palati membranas indesinenter trajiciatur, tandemque salso-aqueas exuvias in oris cavo abjiciat.

Chylus ob terreo-salinam fixitatem liquidi digestivi perperam in stomacho conficitur, & intensa biliosi succi-acredine imbibitus galaxiam ingreditur, per quam moleculis acrioribus turgidus sanguini commiscetur, à quo reparatus sanguis, & salsa acrimoniæ depravato latice saturatus facile in caccochemiam scorbuticam, aut melancolicam facescit,

facescit, in qua salso-acres particulæ luxuriant, atque debachantur. Igitur terrestria salia in sanguine soluta, vel cum chylo salsa acrimonia redolente in sanguinem deiecta salini ejusdem saporis causa sunt, quæ suprà sulphura prædominium potita cum insipidis partibus aqueis separantur, donec pinguibus involvantur, & terreis absorbeantur, quibusque dulcioribus, & glutinosis irretita particulis, ramenta sua salina demittunt.

Hinc cibi plurimis, atque copiosis particulis salso-serosis scatentes, carnes salitæ, pisces fumo indurati, & sale conditi, fervidæ qualitatum miscibilium mutatæ coordinationes: Ità promptius calidior aër, cuius calorificæ particulæ motu turbinationis agitatæ, dùm in cohærentia sanguinis corpuscula impingunt, sui impetus momenta imprimunt circulanti fluido, ut intestino motu salini corporis rotatæ moleculæ, aqueis particulis occurrentes ab hisce eliquentur, fundanturque. Undè cohesionis vi miscibilium salinorum superata resistentia ex motu percussionis partium fluidi se invicem attenuantum, contingit salium fluiditas certa proportione, majorique in seroso-aqueis coëuntium, qui in salivali latice acervatim collecti, ac sui juris facti, salsum promovent apertè saporem.

Sic in febribus diuturnioribus à crebra, & nimia sanguinis despumatione tota humoralis massa vapescens colliquari permittit quicquid acre in sanguine continetur, ut liberè proindè fluat, ducanturque per vasa sanguinis salis particulæ, à se invicem discedere, atque mixtionis vinculum dissolvere nitentes, quæ humido agglutinante exolutionem prohibente destitutæ in libertatem vindicantur, & inter quasque fluidi particulæ nitendo sanguinem fundunt: qua salium eliquatione in intemperiem nimis falsam, & acrem vergit humoralis massa; undè ejusdem partes salinæ diffolutæ, & cum sanguine fluentes per vasa ad quascumque glandulas corporis derivabuntur, & per illas secernentur, in quibus naturaliter delabitur illa humoris compositio, in quam solutæ partes abierunt.

Inter plurimos morbos à salso acrioris salivæ proventu ortum habentes præter gustus depravationem , quām plures tetigimus , occurrit animi deliquium , quod quidem succedit quotiescumque à salso-ferosis salivæ ac rioribus redditis particulis orificium ventriculi valdè sensibile multiplici nervorum propagine intertextum vehementissimis doloribus afficitur , qui per nervorum surculos acri humore obsessos , & in spasmos concitatos ad cor propagantur , ex quibus contractis cardiaci nervi fibris in contractione detinetur auricularum musculus , qui cum superari non possit à pressione sanguinis affluentis , auricula discludi non patientur , & in contractione persistet ; quò fit ut æquabili spirituum , & sanguinis affluxu interrupto motus , ac sensus facultas simul concidat , homine animo delinquentे . Quandò verò hujusmodi liquor acrioribus constans moleculis villos stomachi tantùm laceſſit , eum ad placidum contractionis motum sollicitat , & tunc solus vomendi oboritur stimulus . Quòd si validius nervi irritati , & enormi correpti crispatiōne magis , magisque urgeantur convelli , contenta sursum propellent , & suscitabitur vomitus . Ubi autem nerveæ fibrillæ spasmoticæ contractionis eludunt impetum , alkalinae particulae è villoſa ventriculi tunica erumpentes undequaque in stomachi villos impingunt , qui salibus fese in machinulas illas intrudentibus adhuc irritantur , stimulantur , & sensim corroduntur : Hinc ventriculi internæ plicæ valido impetu instructæ inter se mutuo nisu atteruntur , undè Bulimia cum soda originem habet . At quia à continua partium collisione , & mutuo earumdem contactu divulsis fibris , perennique acrum humorum affluxu pedetentim aliquid ex ipsis partibus decidit , atque deraditur , villorum compages salibus macerata fatiscit , utpote vi salium , & potentiae motricis adacto momento cunei , à quibus moliores substantiae partes , quæ non tanta pollent soliditate , patiuntur divelli , ut ab invicem distractæ divulsionibus tandem repetitis dissilient . Cum hac solidorum abrasione inquinatur chylus ab acri menstruo , & à saline acri fluidorum crasi eliquantur sanguinis humores ,

mores , qui succo acriori quoque restaurati , dūm ad intestina uberiori confluxu propelluntur , ea acrius convellunt , & irritant , ut villi perperām lacesſiti in validiorem , frequentioremque expulſionis motum concitentur ; undē ſuæ molis , ac figuræ momento humor ille , ſive ventriculi , ſive aliorum viſcerum ſuperabit vim conſtrictionis intenorū , cum eorumdem reſiſtentia ipsi ſuperanda , quæ dependet à flexione tortuosa , & eorumdem longitudine minor ſit irritantis ſtimuli , & viſ illa , quæ à diaphragmate in intestinis ventriculo alligatis , & muſculis abdominaliſ continuò viget , nitetur majori preſſione contrà intenorū reſiſtentiam , & tanto facilius , ſi erit tam acris , adeò que tanto impetu nitetur , ut momento ſuæ molis intenſa diſtrahere poſſit , atque dilatare , quod cum fiat deorsum , alvi fluxus continget .

In curatione felici hujus ſalivæ in id nitendum maximè , ut ſalſa acrimonia in ſerofa ſanguinis parte delitescens non exasperetur catharticis validioribus , ſed incipiendo à blando , ac lenienti pharmaco tranſitus fiat ad attenuantia , deſinendi cauſa in ſpecificorum maxima copia liquidorum lenium facilè meabilium antifcorbuticorum , ſimulque lenem promovendo ſudorem . Hinc liquet cur ſerum lactis , lac ebutyratum , phtisana diluens blandè ſolvens , humectans huic morbo opem non raro egregiam præſtent . Hac ratione correctioni ſeri ſalivalis per ſaffo- fraffata , thymum , citratum , acidos ſuccos horæi maturos , rad. elenii , corticem citri , granatorum , limonum , aurantiorum , acetosam , acetosellam , ſpecificis operam dantibus juvamen ſalſedini certò allaturos crediderim . Præter jam memorata ſalſæ ſalivæ ratione conducentia addenda insuper , quæ ſalſis humoribus prodeſſe docet experientia , ut pillolæ de cynoglossa , gummi tragacanthum , thus maſculum : & ſæpius , ut ſenſim corrigantur peccantes humores , & ſubindè producendos eytant .

ARTICULUS V.

De Salivæ amaritudine.

INtimus salivæ amaritiei mechanismus exoritur à certa proportione, certoque nexu ipsius miscibilium, quorum salino acres, & urinoso-volatiles moleculæ motu rotationis, & permixtionis agitatæ, dum in oleoso-sulphureas impingunt, sui impetus velocitatem, & directionis nimis deperdunt, ut salium devolutæ moleculæ oleosi corporis particulis occurrentes ab hisce irretitæ refrangantur, undè hebetata salium angulorum acutie, & cuspidibus eorumdem inflexis modificantur salinæ substantiæ, quæ non nihil resinosis, asperis, hamulatis aculeis, furcatisque acuminibus gustus nervos divellendo, & sensorium non altè, sed superficie tenuis fodiendo, in salivali liquore solutæ in linguae papillas ideam amaritudinis imprimunt.

Massa sanguinea scoriis sulphureo-oleosarum partium inquinata, & adustis salium recrementis turgida fluidorum crassim sensim subvertens, cacochymiam biliosam inducit, cuius salinæ acrimoniae corpuscula terreo-acidis particulis inficta, ita coctionis vim, & directionis momentum in fibris commutant, ut ad acinos hepatis glandulosos non coërcita, sanguinis motu abripiantur in alibiles, & exrementios sucesos, quibz à partibus salinis non fluentibus per suos canaliculos reparati turmatim in glandulas avolant, ubi aqueis commixtae in saliva amaro sàpè falluntur; aerius enim ab incuneatis in nervorum linguae papillis salium inflexis, furcatisque aculeis, etiam si à mellitis demulcenterent nervei funguli, jucundique salium oblinientium delectatione afficerentur fibrillæ, diversus tamen non perciperetur sapor, sed suavia papillas impellendo excitarent infixi salis impressionis impetus, quibus eodem in nervis remanente tremore ex amarulentis concepto, omnne dul-

ne dulce linguam quoque blandè demulcens equidem amaresceret.

Quod si hepatis laxata fibrarum crispatione, reseratis ductibus, & perviis glandularum ejusdem folliculis adhuc occurrat salivæ amarities, opinari ducor particulas sulphureas, & salino-fixas enormiter exaltatas in cruoris massa uberiùs, ac citius in bilem facescere, quām quæ per tubulos felis secerni, aut ab ipsis eliminari queat. Dum cor validius, atque frequenter contrahitur aucto solidorum nisu augetur sanguinis impetus per vasa naturali major, adeòque à celeriori liquidorum motu ad latera nitentium particularum cohærentia dimovetur, & nisuum directione commoti salini cunei intrà nexus sanguinis tenuiora coercita salia excluduntur, ex quibus imminuta vi resistentiarum in sanguinis cohæsione, particulæ salinæ sulphureis conjunctæ intrà se invicem exagitant, nitunturque, ut in partes minutæ deciduae ad summam mobilitatem evanescantur, atque in poros, & meatus, per quos erumpere possit, ubique novos appellant. Igitur bilis à glandulosis jecuris, ob adiuctum sui impetus momentum haud coercita, angustiis, à sanguine cum sero ubique decidet, cum quo ad glandulas oris delata erumpenti salivæ tintetur amarām imprimet. Hac de causa in febribus ratione caloris, & motus magis agitantis, fit, ut partes subtilissimæ, & summe mobiles vagentur liberè per corpus sanguinis, quæ non cohabitæ à partibus humidis suo fræno destituuntur, & nisu quilibet vehementiorem exerentes, citiorem, acrioremque reddunt sanguinem. Posita autem hac fluidorum labore sanguis nactus bilioso acrem indolem, ubique recrementa salium, ac adiutorum sulphurum uberiùs expandens, serum saturabit sensim bilis sapore, quæ in ventriculum repens sursum ascendet per superficiem œsophagi, vel cum sero in glandulis cumulata in oris cavum decidet, inficitque amaro linguæ papillas.

Diutiùs detenta fluida in salium efferatione per tantum temporis spatium, quātum satis est, ut plurimum salis in sanguine cliquetur, illa aëri æstuanti, ac præfervi-

do indè associata à partibus aqueis sejunguntur, à quibus cum non temperetur eorum impetus, erit sanguis universus in suas partes siccas, & salino-fixas, atque mobiies maximè solutus, à quo cum exprimantur salia, & continuò solvantur, non poterit à canalicularum superficie non abripi, & in naturale liquidum redigi, ut evadat tām fluxilis, tām cohārens, ut pedetentim per vasa circumfluens uberiori amaritudinis penu non elaboretur.

Dùm particulæ saliva amaricantes linguae poros subeunt undequaque nervorum fungulos continuò lacestentes ità tenduntur irritatæ nerveæ fibrillæ, ut quicquid particularum è cibis latici salivali elicitor, suum nequeat genuinum pandere saporem, sed potus, cibique omne amaro ingrato inquinati creduntur, undè fatiscens gustus falso deceptus amaro-dulce exhorret. Hoc sapore infecta saliva in ventriculum defluit, ubi in liquore gastrico exundans molestia afficit ventriculi tunicas, quarum fibrillæ ab acri, & erodente humore sese intrudente membranarum poros intensius confossæ divelluntur. Igitur excitato sensu erosionis, & punctionis dolor stomachi, & cardialgia.

Sit insuper humor ità vitatus, ut continuò fibras pungendo cogat spiritus, impetum, & nisum majorem in emissaria nervorum intrà villos musculi ventriculi constrictoris exerere, ut ab ipsis in perpetua contractione detentus constrictor musculus convelli patiatur, quo statim singultus enormis producetur. Si verò amarities visciditati associetur, & absumentur humiditas quoscumque villos humectans, producetur lensor ad arterias, glandularum salivarium obstruens emissaria, à quo impedita saliva, ne libere fluat per sucs canaliculos, proveniet necessariò linguæ siccitas, cuius superficies à fixo, & sicco sanguine haren-te ad linguæ canalium extremitates; in lividum colorem abeunte, sensim infecta colore illo, altius in linguæ fibris repente in nigrum facessere poterit. At verò traducto bilis lentore, & viscida ejusdem amurca intrà ventriculum, partes ejus acriores per œsophagi superficiem repentes non solum

solum palatum, sed & linguam suo amarore, suisque coloribus insufficient: Verum per affluxum biliosi succi in motum contractivum excitabitur ventriculus, qui in valida corrugatione detentus a vellicante, et si minoris quantitatis erodente liquido, cum non possit superare propter adhaesio nem mucidæ bilis ad membranas resistentiam contractarum tunicarum, spasmo dolorifico corripetur: ob quam affectionem intensius vexato dabitur ciborum aversatio cum nausea, quæ mutabitur in vomitum, si humor copiosior fuerit, & in totam cavitatem ventriculi uberior derivabitur.

Sedulò persensa natura bilis, ejusdemque commixtione cum saliva, observandum maximè, si salivæ amarities ex amurcosa bile, viscida, inerti circa jecur impacta, occlusis hepatis glandulis, sensimque astusa sanguini producatur. Tunc huic indicationi satisfaciunt aperitiva stimulantia, quæ figura, partium mobilitate vasculorum fibrillis impacta vim eorumdem contractilem augendo, succos stagnantes dimovent. Inter hæc eminent salino-volatilia oleosa, & aromaticæ, uti plantæ omnes, quæ sale Alkalino, oleosoque aromatico abundant: indè tartarea omnia, quibus accedunt alkalina salina lixiviosa, vel composita, vel naturalia, uti salia essentialia acrum plantarum. Quod si amarities a bilis copia exoriatur, quæ simul acredine peccet, præstantissima erunt, quæ bilem imminuunt, & acredinem temperant, ut decocta ex amaris hepaticis frigoribus Rad. gram. Ruschi Asparagi, Cichoreæ, Fragariae, foliorum Taraxaci, Fumariæ, Agrimonie sem. Alckeckengi, additis salibus essentialibus plantarum, acetosæ, cichorei, agrimonie &c. exinde tollatur bilis copia a ramis ductibusque hepaticis per emetica antimonialia. Si bilis potentius ad os elevetur ob sui volatilitatem auctam, ob copiosiores spiritus volatiles ipsi admixtos, amaritiem ejusdem corrigunt acida tartarea, spiritus minerales acidi dulcificati, indè alkalica terreo-fixa absorbentia, ut c. c. ebur sine igne, coralia rubra, margaritæ, oculi cancr., Antimon. diaph., Bezoart. mineral, Bezoar martiale. In

hoc censu reponuntur acida austera, ut pruna sylvestria, succus berberum, granatorum, aquosa quævis diluentia, emulsiones è seminibus frigidis, salina, ut est sal gemmæ, marinus; nitrosus; quod indè totum perficitur alimentis potibusque citò acescentibus, quorum ope sal amarescens salivæ volatile magis reprimitur, & paulatim emendatur.

A R T I C U L U S V I .

De Salivæ dulcedine.

SAlivæ dulcedinem constituunt globulosa corpuscula molliter acuminata, ex oleosis flexilibus moleculis acido-acribus salium particulis inter se mutuò agentibus, quæ à determinata partium coordinatione resultantes, ac refracto salium nisu se invicem attemperantium exortæ, peculiari inter se combinatione in aqueis, insipidisque corporisculis dissolvuntur; quorum salium asperitates sola particularum collisione nulla edulcorantis cujuspam facta additione ad sphæram accedentes ferè omnem acrimoniam exuunt. Hæc enim salivali liquore commixtae fibrillas linguae impingentes molliter nervorum papillas titillando oleosis salibus succulentam grati, suavisque saporis substantiam organo gustus exhibent. Non secùs ac testante Boyle de Mechanica saporum ex insipido corpore, summeque corrosivo substantia dulcis elicitor. Selectum enim minium si purificatæ aquæ forti, aut spiritui nitri affundatur, donec in se mutuò calore agentibus, requisita metalli portio dissoluta fuerit, menstruum instar sachari dulce suppeditabit.

Chylus itaque pluribus refertus particulis salino-acidiusculis, oleosis tamen quibusdam, & mucilaginosis involutus in sanguinem ab aqueis dissolvitur, jugiterque irreversus ob partium ramosarum intrà viscosas unionem, substantiam congruè mollem, æquabilemque salis, ac sulphuris gustui exhibens linguam quodammodo oblinxit, ejusque partes

partes blando tractu præterfluens leni titillatione afficit, le-
 nique affrictu sensorium titillat, ut exindè resolutis per
 sensorii nervos in molles aculeos particulis anteā implexis
 jucundus voluptatis sensus excitetur. Hæc euchymi succi
 substantia à motu cordis ità exagitatur, ut longiori inter
 partes sanguinis attritu, & valido ad vasorum latera per re-
 petitos circuitus allisu naturale ejusdem gluten perperam
 eliquetur, à quo turpiter fuso collabentes partes non in-
 flantur. Succus iste primum sanguinis rudimentum in mi-
 nutiores particulas divisus relinquit flaccidorum villorum
 cava, in quorum sacculis diutius detineri non potest.
 Hinc ratione minimæ molis, & tam paucas inter illius com-
 ponentia cohæsiones oleosæ chyli partes fluido eo confusæ
 ad tantam solutionem rediguntur, ut eodem impetus mo-
 mento non major resistentia paretur à partibus chyli gela-
 tinosis, quām à particulis aquæ, nun erunt majoris mo-
 lis, nec minoris, aut majoris momenti, ut ad glandulas
 salivales simul urgeri non possint. Quoties igitur sanguis
 aqueis chyli moleculis plurimùm scatens, aut non poterit
 extendere vasorum lateralium sacculos, aut à distenso sac-
 culo vi fibrarum compressius in venarum oscula rapi, ur-
 gebitur quidem tanto impetu, ut possit ferri ad inflandos
 sacculos: At cum major sit circulantis sanguinis impetus,
 quam nifus minimarum particularum componentium in
 cava fibrarum nitentium, particulæ illæ habebunt eam dia-
 metrum, quæ ad villorum poros permeandum requiritur,
 sed ulteriùs circulantes eò usque dividentur, quo usque im-
 pedito in solidis partibus irroratu, cum sanguine refluentes
 à salivali menstruo possint absorberi. ut suavioribus cor-
 pusculis, seroque innatantibus turgidula saliva dulcedine
 nauseosa corripiatur. Quod si fluor lactescens ob particu-
 las diversæ gravitatis, ac potentia fluido universali con-
 fusus, & vertiginoso motu exagitatus, nullam sui patia-
 tur mutationem, sed per universum corpus diffusus ostiola
 tubolorum salivæ inveniat plus justò patentia (antequam
 particulas nutritias partibus cunctis atulerit, cunctaque
 viscerum fermenta, atque utiles humores reparaverit) per
 ipsa

ipsa confertim effluet. Laxatis enim tubolorum fibrillis ob naturalem tensionem, & villorum tonum collabentem, corruunt fibræ folliculorum salivalium circulares, quæ cum repellere non valeant impetum impingentis fluidi, & in pervios glandularum poros erumpenti chylo contraniti, aqueus humor cum volatilibus salibus, atque oleis tenuioribus cum paucis acidis, ac terreis implicatus in salivam mutabitur.

Inter causas externas hic occurrunt potus, cibique errores, qui cum plurimi præcesserint, quales certò sint, non est operæ pretium determinare. Aliquando febre tertiana laborantes dulcedine admodum fastidiosa afficiuntur, à succis primarum viarum depravatis exorta, quod Borrichius in ephem. Nat. cur. in muliere post febrem quartanam tertiana correpta observavit.

A dulcibus salivæ particulis flexilibus nerveas linguæ papillas blandè titillantibus non solùm lenis spirituum animalium motu dulcedinis idea in anima excitatur, ut omnia ingesta dulci sapore prædita reddantur: sed ab iisdem acido-acribus refractis, ac remissis salivæ corpusculis jupiter in ventriculum deglutitis, atque à reliquarum particularum conjugio liberatis nervorum fibrillæ molestis vellicationibus afficiuntur, ut à stimulo irritativo contractionem sui convulsivam patientibus nauseâ corripiatur æger. Et cum intima ventriculi superficies obducta sit glandulis, in quibus secernitur humor salivæ similis, qui ejus tunicis inhærens, dilabens, sensimque repens easdem quodammodo convellendo producit sensum summo cum fastidio, quod propter paucitatem, & inertiam spirituum in angorem stomachi mutabitur.

Gastricæ hujuscæ lymphæ molli, & flexibili molecularum contextu combinatae digestivas vires facile eludent alimentorum resistentiæ, quorum cohærentes particulæ intrâ ciborum nexum coërcitæ retuso menstruo reluctantur, & inertes solventis cuneos hebetant; undè non dimotis ipsius solubilis particulis, nec alimentorum compage intestino motu resoluta, eorumdem concoctio imminuitur, atque depravatur. Cum autem ciborum in stomacho incoacta

coacta dissolutio sit ad chyli elaborationem ordinata, clarè patet, si alimenta non fuerint satis in ventriculo dissoluta, ab iisdem non posse elicere particulæ serofo-gelatinosas, quæ in chylosam substantiam mutentur. Quoniam verò suprà sulphura salibus prædominio potitis liquores prius dulces fiunt acidi, ut Piso in Brasilia observavit, succum, ex quo sacharum concrescit, à plantis elicitem intrà breve tempus aescere, ne miraberis si in hac chyli morbosa dyscrasia cum acido motum turbinatiōnis, atque ebullitionis dulcia, & sacharina ineuntia dolorosas in lateribus cieant commotiones, appetitum compescant, ructus nidorosos excitent, ac flatulentias.

Hanc dulcedinem salivæ nauseosam corrident in primis acida, subinde amara. Quoniam sive extrinsecus ab aëre, sive intrinsecus à motu certus caloris gradus, certaque internarum partium salivalium constitutio exoritur, quæ varia ac imperceptibili transcurſione eadem mutuò sibi allidens tenuior, mollior, minus rigida, atque magis quam prius congrua fit, corpusculis salivalibus imprimitur ille motus, à quo non acriter, sed blanda, lenique titillatione afficitur gustus organum. Hoc ex eo conhicere licet, quod sales vegetabilium salibus asperiores aciem suam, atque saporis acrimoniam sola particularum collisione exuentes, in substantiam mitem gustui gratam penè dixerim reducuntur. Quod autem ab acidis, & amaris elicita corpuscula chylum congregentia, tenaciorem, quām prædicta dulcia corpora solent, linguæ saporem imprimant, mirum nemini videri poterit, qui advertere voluerit, quo usque sola constitutionis mutatione, mutuoque partium inter se conflictu dulcis corporis particulæ, ab amaris, & acidis corpusculis penetrantur. Acentur enim corpuscula dulcia, & compositum salivale mutabunt. Hinc acidofalsa, ut tartarea, vitriolata, elixir proprietatis saporem ingratum, & nauseam dulcedinis emendant.

ARTICULUS VII.

De saliva præter naturam. Prout habet rationem remedii, ac motus critici in morbis.

Non aliundè Medicorum impatientia tam apertè cæcutit, quām ab attenta motus critici lædentiū, & juvantium speculatione neglecta, aut ambiguitatum obscuritate latitante, minimorum quoque exactissima perquisitione non æquissima lance perpensa. Quisquis enim artem faciens absque sedula remediorum, & motus naturæ contemplatione peritus, est furibundus, atque cum ense cæcus in hostem gladiator, qui in minutiis cespitans, veluti spretis insolitæ flammæ scintillis, incautè suæ famæ prospiciens, magnum, tam ad ægri salutis jacturam, quām nominis medici ruinam sæpè excitat incendium, quòd miserrimè serpens medentibus inficiæ notam quotidie inurit. Hinc in hac longa remediorum cognitionis experientia superbire senes, ingenio, & perspicacia æmulari juvenes juxta meum in magnam admirationem ità rapit ingenium, ut tanta nostri sæculi felicitate in hac arte quandoque oculatum tyronem (qui variis Mathematices præceptis, ut potè statices, hydrostatices circà structuram animati corporis rectè philosophans, humanum corpus in structura æquè, ac in effectibus à tali structura pendentibus numero, pondere, & mensura rimatur) valere credam, quām magistrum non curantem, qui dūm insolita naturæ tentamina observat, indebitis remediis statum, rectosque naturæ motus perturbat. Hujus inquisitionis severitatem dūm per ratiocinia attingere non possumus, à tali expulsione morborum allevationem, vel eorumdem recrudescentiam religiose observare debemus, ut ab illo motu non divertatur natura, aut removeatur, ut exindè præcepta ad exornandam praxim eruamus. Cæcutiente igitur in arduis morbis ratione, conatus naturæ utcumque fuerint detegendi, nullisque inanum speculationum fucis adulteratæ menti propo-

proponendi, ut olim Asclepiadorum more eleganter sine coloribus pingentium, quicquid obscurioris morborum causæ inest, per certam, constantemque morborum crism feliciùs eruatur. Medentes itaque plus quam par est in theoriarum elucubrationibus luxuriantes indigestis cogitationibus sapient, nisi diuturnæ insolitæ criseos contemplationi in exercenda praxi omnino se commiserint. Morbi enim absconditum quid sunt, sive ut Hippocrates, *divinum quid in morbis inest*, suasque causas modis reconditis, & ab humana mente adeò remotis involvunt, ut difficile sit quidquam in illis investigare, nisi attenta, & nunquam intermissa circa morborum iudicationem adhibetur observatio, in qua si consenseret Medicus prognosticandi disciplinam observando acquisitam apprimè calleret. Quarè summoperè mihi arridet in morbos illos, qui per salivationem judicantur, detegendos, laborem impendere, ut inde post sedulam accidentium contemplationem ad rationalem disciplinam reducantur. Natura enim, quæ est omnium morborum vera medicatrix, pro sanguinis despumatione, & effœti humoris evacuatione salivationem seligit, & uliginosas exuvies ad has glandularum salivalium syrtes nonnunquam deponit. Ità febrem ardente naturali pthyalismo profligatam exhibet Guer. Roflinckius ord. med. lib. 3. Vertiginem salvatione sponte orta solutam observavit Nicolaus de Blegni zod. Med. Gal. annot. 1. Salvationem naturalem in pthysi salutarem observavit D. Joannes Paulus Vulfain Archiater Cæsareus, & Academiæ naturalis Curio. ephemeri. diligentissimus in dec. 2. anno 1. miscel. nat. cur. observat. 122. : & scabiem fædam in milite oborta salvatione nullo alio præsidio adscito sanata cum D. Hieronymo Baruffaldo notavit Joseph Lanzonus. Sylvius Deleboe contingit ait quidem aliquando licet rariùs salivatio sponte, quod in hisce regionibus factum observavi, & quidem cum notabili ægrom commodo, & liberatione à morbis chronicis à pituita semper pendentibus. Sydenhamius in febre continua annorum 1667. ait, pthyalismus quandoque copiosus sub finem accedebat, si nempe nulla insignior præcesserat evacuatio, atque ægro julapia refrigerantia im-

perata fuerant, quo quidem si nec evacuationibus, nec usū medicamentorum calidorum fuerit interceptus, morbus ultra spēm omnem fugam sibi quærebatur. Nobis contigit sæpè mulierem Hystericam spasmodicis affectibus passim recrudescētibus fortī suborta salivatione promptè relevatam, observasse.

Hic salivationis spontanæ motus optimè cessit in horum morborum curatione, ad quam quidem aptus natus præ cæteris mihi videtur, cum ægris noctù, diùque miserimè per annos excruciatis levamen attulerit. Natura peculiari quadam lege morborum causas evellit, nisi medicus intempestivo, ac stulto remediorum usū criticos conatus turbaverit. Sic subdit laudatus Sydenhamius. *Jam verò ut suprà monuimus, febris hujus solutio ut etiam variolarum (quæ soror ejus germana merito audiunt) per salivationem non raro fiebat, quæ quidem nunquam non salutaris fuit, ità ut eadem liberalius prodeunte tam maculas revera purpureas, quam febrem ipsam evanescere oculis viderim meis. Oborta itaque salivatione nulla omnino evacuatio convenit, nec quæ vena pertusa, nec injecto quæ fit enemate; cum ab utraque periculum sit ne humor aliò divertatur. At serum lactis, atque alia refrigerandi vi pollutia necessariam in salivatione elicienda operam navabunt, ut contrà cardiaca, & quæcumque alia calefaciebant materiem impissando, ejusdem eductione officiebant.*

Nec mirum sit ægros ab effectibus chronicis salivatione spontanea feliciter evadere, si diuturni morbi à sero acri falsuginoso, falso acido, falso muriatico, fixo volatili glutinoso, in massa sanguinis redundantē plerumque excitantur. Sanguis salibus turgescens ad salivæ glandulas dum copiosius impingit, à sero sensim adventante, & à sanguine perpetim urgente distenduntur. Cum enim novus serosus latex ad dilatandos glandularum folliculos, in quos nititur, pervenerit, cum liquore in illis jam contento commixtus vim suprà expansarum fibrarum connisus, facile exerit, adeoque nullo glandularum salivæ orificio, earumdemque fibrarum fasciculo cohibus sese in fluoris motum vindicat, cæterarumque fibrarum jugo excusso in os indesinenter erumpit, & humores serosi acres, nunc fluidiores, nunc

nunc tenaciores cum ægrotantium commodo ex ore fluunt,
exciduntque.

A R T I C U L U S VIII.

De Saliva ut signum.

NULLUS ferè morbus ægrotos inopinatò perimet, si sedula salivæ observatio, & attenta linguæ inspectio, utpotè, quæ lymphæ, sanguinisque statum certius ostendit, & morbos occultos, eorumdemque difficultem solutionem denotat, medentes consulat, quos per salivam diligenter singulorum morborum naturam expidentes, tantoque signo praxim locupletantes, nullus falsitatis, aut ignorantiae accusabit, nisi qui artem prognosticandi deridens, hanc incertam medicinam pronunciet, quo fit ut impetu animi de hac differens ingenio suo, & inutilibus commentationibus magis addictus, quam naturæ monitis innixus, Hippocraticæ sectæ criseos, & coctionis leges adamus, speculanti, quæ tantoperè viguit, ruinas adstruat, & etiamnum calumniis proscindat. Quamobrem ne medentes ignominia obruat, eventuum morbi prænotionem medicis maximè opportunam fore arbitror, ut si homo aliquo perniciose morbi turbine forte conjiciatur, à medico naturæ vaticinio instructo procul prospiciatur; & ut hujus artis nauticæ peritissimus scopulorum, & syrtum prævisor, ventorumque, cœlique aspectus observator futura cognoscat, ne nova inopinato ingruente tempestate opus improvisò ruina quatiatur. Ut igitur ad praxim nos via stabili exorriandam dirigamur, impavidique reddamur in præfigiendo morborum eventu, ne aliquis contrà medentes cæcus imperitorum impetus fiat, per longos, & patientes experimentorum decursus, & juxta veterum monumenta prognosis instituatur, quibus ad exitium ægrum tendere, vel ad salutem prævidentes medicorum existimationi consulere videbimus, nec de futuro damno inculpabimus; undè medicinæ parens Hippocrates lib. prænot. hæc habet: *Cum etiam si*

etiam si divinum quidpiam nobis inest, hujus quoque prævidentiam perdiscere. Sic enim optimo jure, & admirabilem, & bonum se præstabit Medicus: Quos enim superstites fore cognoverit, eos remiùs quoque servabit, utpote ex multo tempore singula consuetè perpendens. Itaque morituros, viuiturosque præsentiens, atque denuntians omnem prorsus calumniam vitabit.

Idecircò ut morborum eventus ex saliva nobis innotescat, Hippocratica observata novis experimentorum additamentis confirmata perquirere licet, quibus occasionem præbet in observatis Hippocratis moriendi cupiditas, & inde dolorem capitis primò experientia consulendi, quem levari à sputo crasso, & non olenti in Coac. prænot. docet, ubi ait Hipocrates, *Capitis dolorem solvunt sputa crassa, & non olentia.* Quoniam decubitus cuiuscumque humoris tenacioris, lenti, motus crassi, frigidi ad membranas cerebri, sive pericranium, tanti est nisus, ut membranæ, & nervorum fibrillæ ita comprimantur, urgeanturque, quo usque in hac positione sisti, absque majori fibrarum divulsione non possint, neque compressi villi contrahi, nisi per copiosiorem spirituum influxum compressionem illam superantum, nec spiritus per compressos nervorum tubulos fluere possunt, nisi violento, & majori nisu in motum rapiantur, quorum motiones à pressionibus provenientes, augent tremorem in fibris momenti plus æquo majoris, à quo desilientibus quaqua versum villis majori cum impetu cerebrum concutientibus, derivatur dolor. Ab hac doloris vexatione liberatur æger, si humor summæ inertiae in partibus minimæ pressionis consistens, vel villos cerebri comprimens, in sanguinem trajiciatur, qui per sanguinis circuitum tandem producitur ad salivæ glandulas ex venis in arterias, ac demum per has in glandulas derivatus. Igitur si copia humoris in salivales glandulas è cerebro trajecti sit crassa, & suis partibus maximè cohærens, diffluet à capite doloris materies, adeoque levabitur dolor. In quibus enim sputum olet, cum id quod intùs remanet putrefieri valet, ferè sphacellari, vel saltem corpus occultè infici portendat, suspensam semper attingit bonitatem, nec remittitur

mittitur dolor. Pro hujus textus coronide inquit Hippocrates de morbis acutis. Si è naribus effluxerit sanguis, solvitur ægritudo, atque si sudores supervenerint judicatorii cum urinis albis, crassisque, & lenibus subsistentiis, & si abscessus aliquis factus fuerit: verum si absque his solvatur, revertetur ægritudo, vel coxa, vel crus dolebit, expuetque crassa, si sanus est futurus. Cum in morbo acuto humores nimia effervescentia commoti, torpidi, aut parum mobiles per vasa nituntur, cave ne stulto, ac intempestivo purgantium, ac diaphoreticorum usu motus naturæ divertas, in quibus si quiesces, paulatim relaxato solidorum tono, orietur laxitas debita in humorum fluentium compage, quibus mutato inter fluidorum impulsu, & solidorum pressionem inæquali æquilibrio, liquida hinc illinc quo debent, excurrunt, celeritate fibris proportionata, circùm quas dūm pererrant, nituntur in arteriolas quaquaversum: Undè si occurrant vasculis capillaribus narium tenuiorum, vel à membranarum porulis colligantur, aut ad glandulas urinæ, sudoris ita impingant, ut sustinere impetum illum non possint, in forma sanguinis, aut aliorum crassamentorum secernuntur, indeque morbus perfectè tolli aut subigi poterit. Verum si absque hisce solvatur, quia videtur potius sopita quam resoluta causa morbifica, protinus revertetur ægritudo, vel coxa, vel crus dolebit, & tunc si evadet æger, & sanus sit futurus, expuet crassa, cum juxta Hipocr. de morb. signum concoctionis sit crassities in urinis, in egestionibus, in sputo, & in pure.

De sputo autem hīc maximè solliciti sumus, quoniam humores mille modis, & gradibus virium inter se miscentur, undè diversitas accidentium in morbis à diversa permixtione humorum exorta non semper idem indicat. Hujus salivæ proventus in mentis torpore occurrens cum à maximè flaccidis, & concidentibus glandularum villis cohíbeatur ita, ut per membranarum mollitiem fluere possit quantum seri opus est ad generationem salivæ naturali quantitate majorem, fieri non potest, ut solidæ nervorum partes ad mollitiem naturali majorem redactæ in undas veniant

veniant sensibus excitandis necessarias: hinc lethargus, cuius signa describit Hipocrates lib. 2. de morb. *Tussis obortur, & salivam spuit multam, ac liquidam, & nugas garrit, & ubi nugari desierit, dormit.* Ex lethargico autem salivam multam spuente tam apertè patet humorum frigidorum collectionem esse veri lethargi causam, ut nihil sit opus in causarum examine ulterius immorari, eoque magis quod si quid esset explicatu difficile, facile ipsius necessitas ex Hippocrat. lib. 3. de morb. curam tradente explicatur, dum ait. *Ut plurimum spuat, & calefiat, & à vino abstineat.* Cum autem partes flaccidæ, quæ particulis suis minùs cohærent, quām in naturali statu, cedant per minima, & vix restituantur propter mollitiem, quæ à crasso lentore cerebri glandulas infarciente provenit, si forte contingat, ut moleculæ salivæ, qua fibræ nimiò saturatæ mollitiem acquirunt, cum sanguine ita fluere incipient, ut confertim separantur in glandulas, dura, piaque mater elaterem prius relaxatum acquirens remorantis fluidi resistentiam superat, qua ratione intensis crispatisque fibris oscillatio villorum cordis, meningum, pressionibus æquilibrata sanguinem æquali motu in gyrum propellit, unde salivæ fluxus lethargo superveniens afferret spem salutis.

Ut verò ob salivæ copiam Caput infarcientis evadit homo lethargicus, ità dùm exiccatur, in ferox delirium rapitur, quod fassus est Hippocrat. in prædit. *Linguæ asperæ, & resiccatæ phreneticæ sunt.* Quoniam in phrenitide ab humoribus solutis in calorem abeuntibus excitata sanguis toto impetu jactus per universum corpus celerrimè rapitur: Ex illa partium minimarum attritione exuberans calor, cum absumat quicquid humidi inter duas quasque sanguinis particulas continetur, non affluere permittit illud liquidum ad glandulas, quod cæteroquin à partibus humidis non disjunctum continuò impelleret, adeoque destitutum suæ lymphæ vehiculo urat opportet villos linguæ, cujus tiliæ adusto sanguine combustæ summè arescunt. Per calorem autem resiccatis linguæ papillis earum villi in superficiem assurgententes penuria humidi invicem sejuncti instar

instar cunei digitos feriunt: Hinc arescit lingua, si phrenitis orietur.

Capitis morbis succedit faucium inflammatio quæ in Hipocr. lib. 2. de morb. habetur, *Febris, & dolor concipit, & fauces inflammantur, itemque maxillæ, & salivam deglutire non potest, spuit autem crassam, ac multam, & difficulter loquitur.* Quoniam in angina humorum copia ad fauces ita subsistit in canalibus suis, ut minùs vividè in fluxum acta, vel arteriolas distrahat, vel è canalibus in interstitia derivata vasa infarciat, in quæ depluit, adeò exundat in glandulis ad summum œsophagi positis, aut laryngi proximis, ut ad quem cum hient glandularum ductus in os ducentes, materia quælibet salivæ ad lacunas glandulosas perducta, ibidemque pressa per impetum sanguinis superfluentis exprimatur: & quia ratione pressionis, & humorum copia musculus ad basim linguæ, crassis, lentisque humoribus obrutus planè pervertitur, æquò flaccidior nervus erit, adeoque ita concidet, ut prohibeat linguae motus, unde spuet crassam, & difficulter loquitur. *Sputa autem viscosa, crassa, valde alba, quæ violenter educuntur, mala sunt,* inquit Hipocrat. in Coac. prænot. Si igitur obex inflammatio- nis, quo impeditur, & retardatur motus sanguinis per arterias, sit tantus, ut per continuum sanguinis affluxum à minimis canaliculis tenuior pars subsistentis liquidi exprimatur, vel in motum ducatur, remanebit Siccitas, quæ coget villos, ut humoribus affluentibus non cedant, eoque magis lensor cum siccitate conjunctus fiet minùs ad motum facilis, qui connitentibus fibris subsistere cogetur fru- strâ nitens in fluxum agi; per continuam autem, & validani fibrarum oscillationem toto impetu exprimetur cras- sior, & viscosa saliva, quæ violenter educta, cum ostendat fibram non laxari, humores non concoqui, mali ominis esse videbitur.

Quanti fecit Hipocrates ut in angina saliva fluat, ap- paret in 2. de morb. ubi ait. *Si saliva supprimatur mirti ramulum complanatum sumito, & tenera ipsius summa parte incurva-*

Lta, &

tæ, & molli lana obvoluta in fauces immissa salivam expurgato.
 Si materia salivalis ex suis canalibus in glandularum cava-
 tates derivata adeò villos glandulosos infarciat, ut humo-
 res retrò urgentes ad fauces subsistere cogantur, adeò
 præ humorum copia tendentur villi, ut per continuam,
 & validam distensionem jugiter in distractione persistentes
 inepti expulsioni ejus materiæ reddantur; natura propter
 copiam ejus non valet ipsam totam secernere intrà illud
 temporis spatum, quo ex fluido sanguineo eamdem reci-
 pit angina velocitate minori instructo, quæ si confertim
 proliciatur à mirti ramulis, statim deplentur vasa, quo-
 rum fibræ nūmio fluido eas distendente depletæ, ità assi-
 duo motus exercitatione roborantur, crispantur, ut per
 fortissimam illarum fibrarum constrictionem majori velo-
 citate, ac impetu excurrat sanguis, cujus subsistentes ad
 fauces moleculæ, vel ad contactum fibrarum circulantes,
 tardiorique gradu progredientes ad solidi leges recipien-
 das ulteriùs aptæ pressionibus subjiciuntur, & à vivido fi-
 brarum elatere, ac proindè potentiori resistentia fluidi im-
 pellendi vi, hinc indè exprimuntur: ex quo Hipocratis
 consilium ex voto succedit. Deficiente autem ex toto
 saliva in angina summa pernicies est, de qua Hipocr. lib.
 3. de morb. vulgaribus ægrot. 7. ait, illius anginosæ, quæ
 apud Britonem ajebat primum à lingua cœpit vox esse obscura,
 lingua rubens desiccata erat primo die, horrida incaluit, tertio ri-
 gor febris acutæ: tumor colii, & pectoris ex utraque parte, sub-
 ruber durus, extremitates frigidæ, & lividæ, devorare non va-
 lebat dejectiones, & urinæ substiterunt, quarto cuncta exacerbata
 sunt, quinto periit. Hæc fæminæ apud Britonem agen-
 tis genuina fauciæ inflammatio fuit, & fortis, in qua à
 sanguine nitente propter obstructionem ad fauces erubuit
 lingua, quæ magis sicco per vim caloris proximè ad fau-
 ces hærente lentore liquidiores salivæ partes absumente de-
 siccabatur, in qua quoniam à siccitate fibrarum, aut per
 solam compressionem nervorum, tum obstructionem vas-
 culorum, qui ad linguæ basim ducuntur, poterat impe-
 diri, aut tolli motus ipsius linguæ adeoque, primum à lingua
 cœpit

cœpit vox esse obscura. Penuria igitur salivalis laticis desiccatâ lingua, humor calidus, & valdè acris cumulabatur intimè intrâ colum, qui ad interiora æquè, ac ad exteriora excrescens itâ comprimere potuit arterias carotides, & urgere canales faucium, ut intrâ ipsos subsistente sanguine, & deorsum repercuſſo extuberaret *tumor pectoris* ex utraque parte *subruber durus*, qui pulmonum fistulam comprimens excursionem aëris itâ prohibere potuit, ut respirationis via occlusa *spiritus sublimis* educeretur. Undè defectu motus sanguinis in refrigeratis extremitatibus, & quiete ejus liveſcentibus, cum quarto cuncta exacerbata fuissent, quanto periit.

In raucedine ſputa viscosa ſalsuginosa mala subdit Hipocr. in Coac. prænot. quoniam intima tunica asperæ arteriæ confertissima est glandulis, quæ subviscidum quoddam, & mucilaginosum perpetim affundentes, adeoque in cavitatem ejus derivantes, jugiter fistulam pulmonariam lubricantes emolliunt: si igitur copia humoris è vasculis sanguinis in glandulas trajecti sit tanta, ut tracheam, & glandulas omnes inundet, atque suis partibus maximè cohærens difficilè diffluat, ut ipsas multò magis afficiat: debitus lymphæ proventus asperam arteriam humectantis non solum intercipietur, verùm relaxabitur, vel conſringetur tunica glandulosa, & partes glandulosæ circa superiora asperæ arteriæ sitæ magis intumescent: Hinc fiet defluxio in vasciculis pulmonum, unde raucedo, quam excipient ſputa viscosa à lympha magis compacta, & in glandulis stagnante, indè ſalsuginosa ab acri humore, & solutis ſalibus exorta.

Cum autem glandulæ asperæ arteriæ sint maximè molles & ab hujusmodi humoribus vellicabiles, atque solubiles, facilè irrepet tabes, si ſalum soluta compages cum lentore combinata in vesiculos pulmonares diffluens prò diverso acrimoniæ gradu partes solidiores pulmonum corruperit, unde ſputa viscosa, & ſalsuginosa mala. Si majora quæris, plurima pulcherrima vide in Coac. prænot.

Quibus pleuriticis in principio lingua biliosa fit, hi septima die judicantur, quibus autem tertia, aut quarta die, circa nonam. Lingua biliosa, & crassa, quoniam materiem crassiorem intra pulmonum arteriolas cumulatam è vasculis dissolvi, & ad concoctionem tendere significat: si hujusmodi linguæ color contingat circa initium morbi, quò scilicet tempore non nisi parva materia collectio facta esse potest, nec membrana pleura violentiorem distractionem passa est, septima die morbum judicari indicabit. Bulla verò sublivida oriente in lingua in principio, qualis est ferri tintæ in oleum, difficilior solutio contingit, & judicatio ad decimam quartam diem pervenit, sanguinem autem plerumque spuunt. Cum autem color obscurus, & nigro oleaginosus arguat & lentorenī humoris, & cruoris nimiam densationem, & pravam quantitatem ejus, quæ difficilè subeat pulmonum canalia, & difficilè ab illorum tunicis divellatur, non ità faciliùs discutietur, unde pulmo pressus à distracta pleura redditur minus aptus extensiōni, quo fit, ut vasa sanguinis pulmonum ità comprimantur, ut ex his exprimi sanguis possit, vel à compressis vasculis ita retineatur impetus sanguinis, ut intrà ipsos pulmones detineatur, quo sistente, & novo semper ac semper impingente sanguine ità divelluntur per minimas partes vascula, ut distractionis nisum sustinere non valeant, unde sanguinis sputum plerumque contingit. Indè peripneumonicis, quibus lingua tota alba, ac aspera fit, ambae pulmonis partes inflamatæ sunt. Linguæ membrana cūm interiori pulmonum, quæ bifida est, continuata juxta pulmonum inflammationem exasperatur, ac exsiccatur, quæ indè in ipsa sicciori salivæ parte ob humidum crassum inter papillas ferè magis harentem, ac spumescētem albescit, cum quod humidius est, ac tenuius beat in auras. Hinc cum admiratione, & maxima cūm voluptate hanc distinctionem notat Verna de pleuritidē in qua Hippocr. lib. I. de morb. si contingat nimia salivæ copia, ut æger expuere nequeat, suppurationem formidat. Pleuritici præ salivæ copia expuere nequeunt, suppurati fiunt, & partim pereunt, partim evadunt. Humiditas enim nimia villos ad laxitatem disponens parit concidentiam

dentiam membranarum, & dilatationem glandularum, quæ ratione minimæ virtutis, qua villi ad mutuum contactum nituntur, & ab illo dilabuntur, à quocumque lentore facilius occluduntur, undè laxatis villis nimio humore irrigatis, & occlusis canalibus impetus sanguinis minor redditur crassitie, ac torpore suarum partium per additionem humoris, ad pulmones fluentis, qui cum subsistat ad partes minoris impetus, nisi poterit è vasis dissolvi, nec à vi pectoris ab imo pulmone sibi viam aperire ad usque superficiem pulmonis, transibit in suppurationem, cuius humoris in cavitatem pectoris defluxus, si extendatur suprà universam pulmonum superficiem à singulis ejus folliculis exsudans poterit usque ad fauces parvo cum impetu reddi, adeòque ægrum evadere. Quod si suppuratus humor statim per sputum non reddatur, producetur ulcus pulmonum, vel vomica, sinus nempe magnus, qui putrefactus demùm in lethalem lapsum terminabitur. Undè Hipocr. de morb. de peripneumonia ait. *Quod si saliva non probè purgetur, & spiritus fuerit frequens, prædicendum est nullam spem vitæ reliquam esse.* At verò de locis in homine, *cum in thoracem fluxerit, & bilis fuerit, ex hoc manifestum fit, dolor lateris mollitudinem occupat, & claviculam ejusdem partis, & febris adest, & lingua supernè pallida, ac viridis fit, & excreat impacta, hujus morbi periculum septima, aut nona die instat.* Si igitur supprimetur inflammatio, & pars pulmonis affecta fit sub tunica, vel in imo pulmonum, adeòque undequaque à pectore prematur pulmo, ut à folliculo, vel à membranis pus exsudare cogatur: Hoc cum ab impetu sua gravitate minori non redditur per asperam arteriam in cavitatem pectoris colligetur, quod indè manifestabitur à dolore lateris mollitudinem occupante non sine febre, ac lingua viridi, ac pallida, quæ illo colore afficitur, quoniam fumimè viscida saliva ita resistit remotioni ab interioribus linguae papillis, quibus allabitur, ut minimè ab ejus tunicis divellatur; cui si obstructione pororum aucta admisceantur particulæ biliosæ, color ille pallidus in viridem abibit, quod in septima, aut nona periculum adesse denunciat.

Signa ex saliva hydropico salutem indicantia scribens

Hipoer. in prædit. ait. *Neque sitim esse in hydrope oportet, nec linguam resiccari.* Quia ex vasis lacteis, vel lymphaticis alteris, aut simul utrisque divisis, aut apertis serum à massa ejus dissoluta nimis deciduum, vel chylus è propriis ductibus effusus ventris imi viscera plerumque in hydrope inundat, aut sanguinis pars aquosa ab osculis nimis laxatis vasorum exundans in viscerum cavitates, aut membranarum lacunas extravasatur, non potest humor ille serosus ad totum corpus, & præcipue ad salivæ glandulas distribui, unde sitis adeat, & lingua arescit. Sitim verò non esse, neque linguam resiccari, cum denotet sanguinis cursum non præpediri, nec serosum humorem intus cavitates coërceri, bonum omen portendit.

Quibus febrentibus cibi fastidia sunt, & oris ventriculi morsus, & multum salivæ, iis vomitus fit in Coac. prænot. habetur. Quoniam etenim per statum febrilem sanguinis ratione partium terræ præcipue, ac salis, quæ licet multa saliva dilutæ, minùs tamen, quam par est temperatæ per humili admixtionem ad minima non dissolvuntur, nec in liquidum rediguntur, fit, ut non evadant tam fluxiles, ut refluere in sanguinem possint, sed exprimatur solum ab illis, quicquid est liquidius: adeoque cum à superficie ventriculi divelli, & abripi non possint, liberiùs vellicabunt, & acriùs urgebunt ipsius tunicas, à quarum stimulo vellicante nimis excitabitur sensus summo cum fastidio, qui in ventriculi morsum terminabitur: ex hoc sensu doloris crispati fibris glandulæ omnes ventriculi in expressionem liquidorum nitentur, & villorum contractione expressum liquidum sursum urgetur, ut magno cum impetu ascendat ad œsophagi superficiem, unde vomitus.


Quibus verò circa dentes in febribus quidam lentoſe naſcuntur, iis fortes fiunt febres. Hipocr. Aphor. sect. 4. cum lentoſe febrem producens est tam tenax, ut difficilius in fluxum agatur, pars ejus liquidior per ramulos non carentes pressione distributa difficilius ita urgetur, & solvetur, ut ab arteriis abripiatur solum portio ipsius minùs viscida, quæ in glandulis salivalibus derivata, cum sit naturali saliva viscidior, iisdem partibus adhærebit: Unde cum liquidior pars à glan-

glandulis expressa non sit naturali sero irrigata , sed' magis viscido lentore perfusa, ita in cohesionem venient partes sanguinis , ut generetur lensor circà dentes cum febri forte corripiens. Contrà verò morbus diuturnior , ac difficilior est , si salivam tenuem , ac spumosam primum spuit , lingua flava est , verum progressu temporis nigrescit ; si igitur in principio nigrescat , citius morbus finitur , sin posterius tardius , tandem verò etiam rumpitur lingua. Hipocr. in VIII. de morb. febr. cum igitur saliva componatur ex particulis chyli , atque liquidis aqueis sanguinis , & illæ ex initio febris crudissimæ sint , per febrilem motum , & pressionem illam exprimetur mere aqueum , seu quod liquidissimum est , & summè tenue se jungetur ad glandulas , cui si succus viscidior ex perenni febris fermentatione compactus in initio adeò conglobetur , ut ratione solius lensoris per ostia canaliculam salivalium in os sub spumæ forma deducatur , cum spuma sit quid compositum ex aquo viscidiori , & aëre , tum nimiam croris lentescientiam , tum ejus lymphæ invincibilem visciditatem ostendet , adeòque saliva tenuis diuturniorem , ejusque spuma difficultorem morbum denuntiat.

Lingua quæ in principio quidem inhorruit , in calore verò permanet , progressu autem temporis exasperatur , & livebit , & rumpitur , lethalis est . Si verò valde nigrescat , in quarta decima die iudicationem fore significat.. Periculosisima autem est nigra , & cum virore pallida. Linguam circà bifidam sui partem , veluti saliva alba obduci , febris remissionis signum est : siquidem id quod super indutum est fuerit crassum , eadem die , si verò tenuius , postridie , si verò adhuc tenuius , tertia die. Hipocr. in Coac. prænot. Si in principio febris lensor febrem producens , non sit ita fusus , ut per salivam reddi possit , sed motus sanguinis sit tam naturali similis , ut detur illa velocitas , quæ necessaria est ad separandas partes cum aqueis , naturali similem salivam constituentibus , in colore suo permanebit lingua , quæ si progressu temporis exasperetur , livebit , & rumpatur , cum exasperetur exsiccatis villis , & à subito stagnante lento nigro oleaginoso tingatur virore ærugineo , à cuius sicciori parte inter papillas magis hærente ita lingua contrahitur , ut à proprio termino recedentibus papillis divellantur fibril-

Ix, atque dissilient, pessimæ conditionis febrem ostendent, undè lethalis erit. *Si verò in decima quarta nigrescat, cum materiam crassiorem è vasis dissolvi, & ad concoctionem tendere significet, morbi judicationem indicabit, quæ faciliùs continget, si lingua circà bifidam sui partem crassâ obducatur saliva; tunc enim per derivationem lentoris, & liquidi lentorem producentis ad salivæ glandulas remittetur febrile incendium, eoquæ magis, si id quod superindutum est fuerit crassum.*

Indè Hipocr. in Coac. prænot. ait. *Linguæ denigratae in alvo liquida celerem mortem significant. Quia verò ut concoquatur materia morbi, requiritur ut fiat fluxilis, fit autem fluxilis faciliùs, si liquidiores à corpore non secernantur, igitur in denigrata lingua si dejiciatur per alvum quod est liquidius, incoctilis humor, & pars ipsius durior subsistet intrà vascula, undè si adhuc stagnante lento sanguinis alvi profluviu superveniat, malum. Longum hīc esset investigare solertiùs præternaturales salivæ particulas in sanguine redundantes, ex quarum varia cum cæteris combinatione, & prava earumdem constitutione chronicorum, acutorumque morborum idea certior desumitur. Quantifecit magni Medicinæ Parentis Hipocratis verus sectator Balgivius linguæ, & salivæ observationem ad dignoscendos morbos, eorumdemque eventus præfigiendos, ex ejusdem operibus ediscitur, qui expertus est eos in febrem, vel gravem viscerum, & præcipuè naturalium morbum incidere, qui per plures dies loco naturalis saporis amarum, viscidum, salsum, aut acidum præsertim circa horas matutinas percipiunt, quibus si accedat magna virium laxitudo cum inappetentia, aut alterius mali ingruentis symptomatis comitatu morbus irruptit. Cum enim saliva morbosis, atque peregrinis salibus infecta intimè mixta in ventriculo vires suas explicet, fieri non potest ut ventriculus præservetur à labe, ut indè appetitu dejecto tonus ejus magis non relaxetur, atque à præternaturali salivæ cum sanguine permixtione fluidorum compages non fatiscat, quæ coagulationi prona magis torpedine membra vincit, fluentis sanguinis cursum retardat, & ad mòrbos plurimos disponit.*



D E
SALIVATIONE
ARTIFICIALI.
C A P U T III.
ARTICULUS I.

De indicante, & prohibente generico.



Am verò hisce conjectura mea ità favente
absolutis opportunum fore arbitror, ut
salivam arte pellicitam deinceps conside-
rem; cui sanè rei laboris, & observatio-
nis plurimùm impendi par est; si vel ipsius
vires spectes, vel utilitatem. Siquidem
non desunt homines ingenii acutie, &
studii commendatione florentes, qui cum

salivationis ultrò agnoscant utilitatem, tamen in ea exci-
tanda decepti, vel illam in crimen vocant, vel non amore
prosequuntur. Horum cavillis, & dubia existimatione fit,
ut plurimi veritatis incertitudine deterriti de salvatione ar-
tificiali non solùm indignè, & turpiter sentiant, sed illam
erroribus involvant, & silentio excludant. Undè fortè mi-
raberis, & humaniter quæres, quid potissimum me impule-
rit, ut anxiè sollicitus sub iis salivæ artificialis auspiciis rem

prælo committerem. Cum enim mecum ipse perpenderent, serio me, seduloque monuerim absque veritatis convitio subtrahere me Reipublicæ Medicæ non posse, quod pro re data sine mendacio suffragandæ in hominum animos salivationi peridoneum sentio; rudibus illam à mendis vindicare, & severiorem illorum censuram, manco quodam, mutiloque fundamento, nescio quo caducitatis infortunio, innixam diluere censui, si utilitatem spectantibus viam probè ostendero, ut noxium exuant mendacium, vel excellentiam spectavero, ut malè sentientium illa opinio eximatur. Quod si non alienis rixandi studio parum arrideat, celebre apud veteres scias dictum esse, *nec Jovem ipsum omnibus placere potuisse.* Et profectò tanto numero, & tam varii generis sunt, qui licentia longè minùs tolerabili salivæ artificiali fabellas callidè conficiunt, atque in hanc impingunt verba æquè ac facta malè consulentes, ità ut mihi non minùs admirationis, quam doloris parerent, nisi intelligerem, quantopere humani generis hostis in hoc vertitur, ut bona salivationis, & ejusdem scripta evilescant, quæ suo existimata pretio contrà illorum infcitiam, & ad eorumdem consiliorum subversionem maximè valent; nec non recordarer (quod est hominum proterva indoles) Ciceronis admonentis, *vitari non posse reprehensionem nisi nihil scribendo.* Jam verò, ut consilio meo congruenter faciam, quod hīc palam profiteor, nè incohærenter dicta, denique levia, & exigui momenti videantur, in quibus nullum videtur apparere dubitationum vestigium, citrà eorum existimationis injuriam, salivationi artificiali religiose adhærere in pretio habeo, quæ licet à tot retrò seculis non intellecta, aut contempta, in ægrorum tamen solatium, & gratiam à natura inventa uberiùs nunc artis consilio augetur, & latius ità in eorumdem emolumentum diffunditur, ut inter universales evacuationes enumeranda reputetur; quam conjecturam nemo, opinor, ratione destitutam judicabit, cui modò critica plurimorum morborum solutio, vel per naturalem salivæ expulsionem eorumdem revelatio non latebit: & quidem felicium eventuum consideratione eorum cavillis.

cavillis occurritur, qui salivationem calumniant, vitiis, ac flagitiis exprobant, ex quorum clade, ac nequitia (face præferente natura) artem illam salivatoriam, quam usque omnium scire interest, sine vita periculo addiscimus, atque experimur.

Hujus salivationis artificialis genericum indicans est depravata sanguinis labes, & status aliorum liquidorum vitirosus, quo ipsa minus fluxilia, vel mœbilia liquida redduntur. Hinc generalis indicantis naturam induit quicquid extranei in sanguine inest lenti, aut glutinosi, quod à sialagogis potest ita fundi, & eliquari, ut ejusdem fusio in glandulas salivales impingens possit per hiantis eorumdem orificia, & ductus eliminari. Quod indicans miror sanè plurimos negligentia contemptum reliquisse, cum in tota salivandi arte nulla sit pars magis necessaria, & quæ Medicorum consilia exposcat, quâm ista, quæ ad intuendam morborum salivationem potentium ordinata naturam, medentium praxim exornat, statuitque in salivandi palæstra artis terminos, aut secunditatem: Cujus ope indicata salivatio ad evellendas morborum radices unicè par experitur: at à malorum prohibente coercita, & temerario conatu adhibita plurimos post fævas ærumnarum perpessiones in orci fauces ægros miserrimè compellit.

Salivationis artificialis generale prohibens est humorum vitium, quod particulis sanguinis inquietis, seu impetuose commotis peculiariter inhæret, ob quas mediante salivatione potest ita fundi, & laxari fluidorum compages, ut fibrosa pars penitus destruatur: vel si licet generico addere specificum prohibens est ita pressa, mutuoque cum cæteris miscilibus in aliquo viscere amplexu unita, ut absque canarium dilaceratione minimè laxari possit; quibus si solidorum liquida vehentium in visceribus naturalibus, aut spiritualibus delitescentium mollities, laxitas, flacciditas, aut soluta unitas accedat, omnibus circumstantiis stipata totum verè prohibentis onus exhaustit.

ARTICULUS III.

De diversitate remediorum salivalium, eorumque usu, & utilitate.

UT sialogoga Mercurii natura penitus nobis innotescat, juvat h̄ic exponere remediorum salivalium diversitatem, quæ imminutum salivæ fluxum ad fauces promovent, & quicquid ibi h̄aret unā discutiunt. Quando enim per glandulas palatinas in summitate palati dispersas, vel per sublinguales in radice, & lateribus linguæ hiantes unā cum parotidibus juxtā aures, salivalis succus in oris cavum non infunditur, in ipsis tubulis moram necit, ubi diū subsistens, & in partibus capiti vicinis sensim collectus infestus evadit, ibidemque coacervatus novas operandi vires acquirit; indeque vitiato molecularum nexu male olens, varie morbosos inducit affectus. Ne igitur fluoris salivalis motus retardetur, ut promptius iste, & copiosius eliciatur, inventum fuit subsidii genus apophlegmatismi nomine insignitum, quod pituitosos humores in glandulis oris impacteros, & tubulis inhærentes, fluxiles reddit, atque ad motum concitans in tantum emicuit, ut è peculiaribus evanquantibus veluti abreptus ad universalium classem elatus fuerit, quod eatenus concedi non potest, quatenus non totum corpus per ipsum ad has tubulorum syrtes suam deponit uliginem, sed particularis glandularum salivalium morbus tantum tolli posse videtur. Ubi autem humores in tota sanguinea massa, totoque adeò corpore impliciti æquali motu per vasa rapiuntur, sed ad oris glandulas appellentes circā faucium tubulos restitant serosi humores, tunc ut ad motum fiant aptiores, & fluxiles reddantur, apophlegmatismis inciduntur, attenuanturque, ut felicius proliciantur. Quod si quis mentis hallucinatione captus istos vitali nostro calori committi, ad ossa quasi usque penetrare, & inter fibrarum poros, & glandularum omnium spatiola se insinuandi efficaciam suam manifestè admodum in morbis

bis longè gravioribus contendat, in actu hærebit illi aqua.
 Horum enim agendi modus in glandularum laxitate vel va-
 sculorum irritatione consistit. Quoniam igitur salia vola-
 tilia acria urinosa ex objectis in ore elicita, in nervorum fi-
 brillas citissimè irrependo urgent villorum oscilla per inter-
 valla minima, fit ut per tremorem illum partes, quæ vali-
 diori flexione sese tangunt, in aliarum contactum magis
 nitantur, adeoque si quid est mobile per nisum illum vivi-
 dius urgebitur, atque etiam abripietur quicquid est ad con-
 tactum membranarum positum, & intrà villos contentum.
 Quare villorum nisus naturalis si partes magis impactas di-
 movere non possit, cum aucta vi stimuli minorem inveniat
 in fluidis resistentiam, in contenta liquida nitendo fiet ille
 vividior, & fluidorum motus ad partium contactus adhuc
 major; undè ratione aucti utriusque impetus lentescens li-
 quor faciliùs dimovebitur. Quòd si fibrae glandularum ita
 corrugentur, ut appulsui salivæ renitentes effluxui non ce-
 dant, optimè, feliciterque laxantur emollientibus vegeta-
 bilibus. Hæc sensim suaviter fauces afficiunt, anodyna vi
 poros demulcent, & partium nervosarum insigniter leniunt:
 qua ratione blando tempore laxatis fibris, flexilibus, molli-
 busque particulis membranosarum partium tensione obli-
 nita, uberior salivæ affluxus per hiantia vasculorum repa-
 gula confertim appellens jugiter à dilatatis poris extillat.
 Hinc latus est in praxi apophlegmatismorum campus sub
 forma Masticatorii, Electuarii, Trochisci, Pillularum, &
 Gargarismi exhibendus. Juxtà igitur pororum infartus, &
 glandularum morbos cietur saliva, quæ si ob fibrarum tor-
 porem, & languidam villorum oscillationem in tubulis
 hæreat, commodius prolicitur à mastice, cujus granula
 ut lacrymæ transfudant ex lentisco arbore sauciata, grato
 odore palatum affiendo, glandularum atoniam resar-
 ciunt, & rotundis suis particulis suaviter titillando efflu-
 xum salivæ promovent. Attamen si serosus humor sit tanti
 lentoris, ut per conceptam nervorum undulationem, &
 illum villorum nisum in expressionem liquidorum niten-
 tem à glandularum exilissimis ostiis dimoveri non possit,

paulò acriori stimulo, ut decocto mellito ex betonica, lavendula, majorana, rore marino, ruta, cubebis, pullegio, & nasturtio irritentur fibræ, ut majori contractione correptæ rigidiores, ac breviores fiant, undè adhuc majori nisu impetus sanguini ad partes oris in glandulas stagnanti communicabitur major, quo fiet, ut à villorum pressione attenuato spisso, & lento, aucta velocitate fluidorum, & solidorum tremore salivalis seri valdoperè augatur affluxus.

Si ob vitium villorum minus sensibilium, vel adhuc crassioris lentoris resistentiam divelli renitentis prohibeatur saliva, commodiùs aptentur sulphurea, resinosa, quæ particulis salinis volatilibus acrioribus magis explicita, ut Tabaccum, Nigella fylvestris, Radix gentianæ, zinziberis, quibus referri potest radix nicotianæ, modò observeatur, ne tantillum deglutita saliva, graves vomitus, & sedes concitentur, valent intimius commovendo fibras, serum quietem meditantem evacuare, & expressionem liquidorum faciliùs promovere. Sic in linguæ paralysi liquida è sinapi, theriaca, confectione anacardina, & aqua apoplectica optimi sunt usus. Dum enim nervorum linguæ papillæ acrioribus particulis stimulatae vividiùs oscillant, contentæ fluidi harentis moleculæ ob tremoris solidorum motum fortiori agitatione commotæ sensim à vasculorum angustiis abripiuntur. Ità nullo impedimento per linguæ substantiam repente fluido, & intrà villos fluente libera permittetur musculorum fibris contractio, undè resolvetur paralysis. Ad dentium dolorem à sero stagnante radix pyrethri masticata, tinctura Wedelii odontalgica ad copiosiorem salivam eliciendam est expertissima. In gingivis scorbuticis, tumentibus glandulis, hinc in frigidis capitis affectibus, apoplexia nimirum, lethargo à crasso humore exortis, in quibus serum spissius evadit, cuin ægri euphoria adhibentur masticatoria. At si tenui acrimonia vel fluxilitate nimia peccet humor, vel deficiat serum, ut in Hecticis, vel pessimo succo affectis, tutius erit abstinere. Hoc consilio in asthmate, in heimophyssi, in facile vomentibus,

mentibus, faucibus inflammatis, & anginosis affectibus, ratione irritantis stimuli, tanquam noxia fugienda consumimus.

ARTICULUS III.

De Mercuriali Salivatione.

Post Medicinæ exortum aureo artis seculo licet improbo experimentorum labore laxata ingenia, & subtilioribus philosophiae ratiociniis suffulta sublimiores de natura rerum cogitationes, medicaminum vires, & quamcumque morborum, causarumque contemplationem è penitiori physices recessu severiori indagine eruere conarentur: Horum tamen mira solertia Heri fugitivi in tenebris latitantis, & quasi silentio involuti, dubiis tantum innixa fundamentis ignobiliores usus nullis experimentis ornata elicere potuit.

Post casum exemplo monstrante viam inventus in arte Mercurius, qui prius ut scepticus, summeque deleterius à veterum schola lethalibus infamatus erat exemplis, nunc tandem caput exerens in primis artis subsidiis reponitur. Cum dira lues celtici seminii non prius nostro cognita cœlo mortalibus irrep sit, & primis illis temporibus subdolè, ac clam summa hominum pernicie, ac clade servire cœpit, atque in humanum corpus debacchari, omnia medentium auxilia illuxit: qui medicorum cætus cum viderint homines inopinato, & non intellecto morbo peremptos, indefesso conamine melioris auxilii medelam investigantes, saniori fortè consilio ineuntes ad validiora Arabum medicamina prò scabie devenerunt, quæ hydrargyrum recipiunt, insuetoque delusi morbo luem gallicam cum scabie perperam confundentes, illis medicaminibus, in ulceribus gallicis uti cœperunt, quæ cum ex voto successerint, ex falso verum ducentes casu reperiere, quod conjectura fallax dictavit, & ratio invenire non potuit; undè

mox

mox pro gallica forde, & luis inquinamentis hydrargyri illinitio reperta, Carpensis ille Chirurgus, ut testatur Fabritius Falopius de morb. gal., & Ramazzini, ferè primus hanc medicinam callens, summo artis incremento à populari pellicitus aura, & novitatis aucupio sibi viam sternens ad medicinæ culmen, licet sèpè cæsis hominum victimis litans, feliciori tamen sèpius eventu plurimos obliniens tantos obtinuit plausus, ut in magnalia artis adscitus quinquaginta millia Ducatorum aureorum lucratetur.

Harum observationum præsidio instruta mens hominum post repetitas, atque accedentes in dies novas observationes sibi mutuò facem præferentes, cæpit solertia mentis, hominum naturæ methodique pedissequa, novos Mercurii usus explorare, & circa ipsius naturæ arcana disputare; ex quo regente rationis lumine in usus varios adscitus Mercurius, atque diversæ indolis morborum ad curationem nunc invectus, summas dissidias in medentium Sectis, & in quorundam scepticis Clinicorum ingeniosis sola innovandi libidine præjudicatis, excitavit, à quibus sectarum litigiis malesano hominum judicio fundatis, in germanæ artis subsidium advocatus mirum non est, si post abdicatum empiricum studium, & subreptum theoriarum cultum, luxuriantibus tantum intricatis hypotheseon erroribus, & conjecturis, quasi in arte coercitus ultimos medicinæ fines non attigerit.

Ut jam ad variam præparationum methodum mentem dirigamus, primò unctionem mercurialium cutis illinendas, quæ in lue venerea curanda præscribi solent, selectiores quasdam formulas referre necessarium existimo: in quibus linimentis, licet plurima componentia ingrediantur, horum tamen basis est Mercurius cæteris quibusve validior. Unguentum, quo Paræus lib de lue ven. cap. X. feliciter usus est, conficitur ex particulis sublimati corrosivi, & sulphuris in pollinem redactis, quibus affuso argento vivo, simul cum axungia mox, & vitellis induratis, omnia diligenter permixta agitantur, donec minima commota optimè

timè se tangant. His exactè combinatis rursus affunditur argenti vivi, axungiae, & vitellorum portio, ut priori massa incorporetur, cui additis tandem oleis therebintinæ, & lauri, mox theriaca, & mithridato paratur mediocris consistentia unguentum. Juxta mentem aliorum Chymicorum mercurius vivus extinguitur saliva hominis, vel oleo therebintinæ, liliorum, vel lumbricorum, qui indè ab unguento de althæa Fernelii exceptus, oleoque succini associatus in unguentum coalescit. Sed melioris fortassè notæ compositio indicatur à Junckenio, & Sydenhamio, quæ ex crudo Mercurio, & axungia porcina conficitur. Nec oleum aliquod, nec aliud quidpiam admiscent, cum deterius fiat unguentum, si quod adjunctum laxet habenas, vel hoc frænum iniiciat, nihilque efficacius, si nil prorsus agat. Fortassis additamenta scrupulosè expensa sunt inanes temeræ suppetiæ, quæ hydrargyri viribus, ac proinde frangendis Mercurii conatibus, aut in internas partes penetratione cohibenda impares nil opis conferunt, nec malignitatem stultè petitam Mercurii corrigunt: sed poros cutis occludendo Mercurii efficaciam quoquo pacto infringunt, ut in oleosæ substantiæ amplexu torpidus paulò hærens, dein oleorum conjugio liberatus impetuosius in sanguinem evectus celeri motu ruat, donec visciditates in corpore hospitantes incisæ, atque attenuatae per ductus salivales ejificantur. At ab eorum usu, ut ab alea suspicione plena, nisi morbus vehemens inunctionem extorqueat, consultius est abstinere, cum languidiùs, vel validius quam par est fluxum salivalium commoveat.

A mercurio non excitatur fluxus oris, quotiescumque in linimento paratus uberiùs alluit spongiosas glandulas, & vasculorum lacunas, vel quia nervi in memoratis partibus conserti stupore afficiuntur, atque adeò distrahuntur, ut singuli villi laxo machinularum fœdere, & fibræ minori resistentia inter se connexæ prementi nisu discludantur, quarum ope ubique humores miris modis agitati ulteriùs superare debent asperitatem parietum, resistentiarum occursus, & postrema fistularum, ductuumque emis-

faria. Nunc verò si vis dictarum machinularum distractarum minor fuerit vi ponderis eorumdem liquidorum, quæ in reticulari fibrarum, glandularumque contextu continentur, cum in memorata partium distractione mercuriales particulæ, ob resistentiam, quam sibi ipsis faciunt, ad invicem non possint à languido solidorum nisu, & liquidorum à tergo urgentium pressione in gyrum rotari, facile in interjectis loculis, & fibrarum laxitate stabulantur, & suspendatur oportet eorum influxus oscillorum connisum violenter exhauriens. Machinulæ igitur fibrarum valde distractæ, & nimis laxatae, etsi sponte sua denuò se restituere conantur ad naturalem terminum, ut videtur in arcu, & qualibet machina, quæ violenter distracta, summeque distensa in pristinum statum reducitur, pondere nimio gravatæ non restituentur, ex quibus fieri non potest hydrargyri circuitus cum liquidis omnibus eo, quo fas esset, impetu, ideoque Mercurius magis ad invicem pressus in illis spongiolis moram necit, nec ejusdem stagnantes particulæ sursum impelli possunt, tum quia resistit naturalis ejusdem gravitas, tum quia laxitas fibrarum, & villorum omnium vis macerata labascit. Hinc præ nimio infartu, ac pondere circumfusi humoris superatur nisu, & villorum resistentia, ac idcirco immodica humorum sarcina inanites spongiarum gravantur, ejusque ligamenta exsolvuntur, atque divelluntur.

Si verò uberior Mercurialium corpusculorum copia consistentibus fibris, rigidisque villis occurrat fluidi particulis, earumdem implexu tanquam vinculis coercita paulò detinetur; at soluta fluidorum compage sui juris facta intensius exagitatur, & turmatim volare nititur. Undè impetuosiùs concitis fluidorum solutionibus, uberiori nimis salivæ eruptione sputatio ciebitur, quo fiet, ut materiæ partibus gelatinosis impactæ saburra per quam immensa commota, tota confertim nimis versus ductus salivales irruens circà gutturis partes cum suffocationis periculo aggreditur: adeoque serosi laticis agitatæ moleculæ fugam molientes, & hinc indè ad glandulas oris jugiter confluentes,

cum nullo fræno cohiberi possint, non raro contumacissimis cruciatibus spuentem ægrum miserrimè jugulant.

Mihi Venetiis narravit vir in mechanicis disciplinis versatissimus, & æque in exercenda praxi felicissimus, quod venerea lue ægrum tabescentem aggressus repetitis illinitionibus, cùm nec quarta inunctione potuisset salivam promovere, imminenti remedii periculo consultus, & futuræ cladis fortasse conscius interdixit ægro Mercurii iunctiones. At invocato alterius medentis ope iunctiones renovare consulentis, in septima iunctione ardenti febre correptus, summoque animi angore incalefcens patiens deliravit. In hac morbi sævitie posterior Medicus suo errore deterritus curationis abdicavit imperium, nesciens quo facto, quave medela consultæ calamitati occurrere posset: prior tamen ut acrioris ingenii medicus omne artis opus ruminavit. Catharticis irrito conatu adhibitjs aurum in subtilissimum pollinem redigi jussit, ut hydrargyrum miro aurum amplectens amore per aliquod cribrum eyheretur: sed minutissima auri scobs non levitate sanguini æqualis sibi viam per alvum paravit. Unde quasi lumine afflatus, ut ægri corium auri foliis tegeretur auctor fuit; protinus inde aurum argenteo hydrargyri colore pallescere videbatur, ita ut mirum fuit, quanta Mercurii copia auro allicta educeretur. Hinc laudabili hydrargyri quantitate educita ingenti pthyalismo parotides, salivales omnes intumuere glandulae, per quas aqueis, ac salino-fixis particulis ad fluorem, evectis jugiter erumpentibus, non minus intestino sanguinis motu in furorem concito, quam à Mercurii pondere enervato solidarum partium robore, patientem jam eversum in naufragio vitam invenisse meritò dices.

Sanguis igitur in gallica fluidorum dyscrasia obstrictam, & densam nimium texturam naturali cordis, & arteriæ parietum motu allitus, debitoque fluore non gaudent suis partibus ita cohæret, ut licet assiduis villorum contractionibus, cruxisque præterlabentis pressione agitetur, in dies intestinus ejusdem motus oblanguescat, cæterarumque partium tonicus motus pedetentim resolvatur oportet.

At si graves jugiter diffluentes Mercurii moleculæ, id est majori momento pollentes, in sanguinis massam majori copia quaquaversum cum impetu confertim ruant, solventur subito partes sanguinis lentore implicatae, & in libertatem vindicabuntur, excitabunturque motus species vivido tum liquidorum, tum solidorum momento respondentes, & ratione eorumdem impetus velocitatis, & violentiae fluat per canalia sanguis maximè liber summa velocitate, atque valido impetu præditus, nisum quemlibet vehementer extens. Posito autem hujusmodi sanguine maximè soluto, ac celerrimè rapto, partes subtiliores, & maximè mobiles, quæ non cohibentur nisi à fibra sanguinis, suo fræno destituantur, adeòque vagantur liberè per corpus sanguinis toto motu nitentes, ac proindè totum perturbato motu liquidum movebitur, undè febris ardens. Hinc per nervos magis confusi vagantes spiritus, & extremè soluti maximoque impetu instructi derivabuntur in fasciculorum nerveorum tubulos, qui undequaque irrumperentes, nullo certo ordine moti delirium excitabunt constans, atque continuum. Cum verò in accelerato liquidorum motu, licet fluidum sit ità divisum in partes adeò minimas, ut diameter orificiorum glandularum ad diametrum fluidi separandi habeat rationem majoris capacitatis, cum in glandulis separandum suum exigat sejunctionis tempus, & determinatam velocitatem requirat, perspicuum est separandas in fluentem evectas ab hydrargyro particulas, & cum sanguine ad orifica glandularum salivam secernentium appulsas, in ipsam met vasa non influere, nec ullum posse derivare liquidum, quo usque solidorum nisus, & velocitas sanguinis aucta conservetur eadem. Quare educito Mercurio validiori momento sanguinem rapido cursu per glandularum angustias impellente, copiosa sputatio incæpit, ob sanguinem minori velocitate in easdem glandulas impingentem. Igitur caute procedendum in salivatione instituenda Mercuriali illitu. Nec, inquit, Deleboë Sylvius, sufficit feliciter successisse medico salivationem in ægris suis excitatam, quin videndum, ne inquam succedat male, cum plus dedecoris accedat medico ex uno eventus

eventu malo, quam honoris ex decem eventibus bonis: Verum si post peractas illinitiones nulla symptomatum pernicie procedat salivatio, & felici eventu stadium exequatur, adhuc tamen si à moleculis hydrargyri per inunctionem institutam intrà sanguinem cohibitis saltibus virus intimè non extirpetur, completa salivatione recrudescit morbus, atque superstes dein vitiosa sanguinis labes, & humorum indoles in elementaribus sanguinis particulis primitus constitutivis eradicata repuluntur: à qua incerta liquidorum solutione ocùs, quam par est instituta, eventuum inconstans consequitur, quæ artem contumeliæ redarguit.

Sedulò verò medentes unctionem ægris non tantùm gravem, & molestam, sed nonnumquam etiam lethalem fuisse animadvententes, mercurialia suffumigia investigarunt, quæ parantur cinnabari cum mastice, thure, mirra, vel succino in pollinem redacto, quod prunis injectum ignem concipit, simulque cum sulphure resolutum totum in fumum densum, gravemque evolare nitens per infundibulum vitreum ore excipitur, capite benè tecto, ne quid ejus pereat, aut abeat in auras. Vel hydrargo in therebintina extincto, bolo vulgari, & carbonum pulvere massam conficiunt, quæ indè sub umbra exsiccata candenti igni imponitur, ut fumosa nubes in altum prorepens pressius in tubo agglomerata, & dehiscentia oris vascula versus promota minimas quasque corporis partes venerea lue affectas præreptet. Verùm quantum efficax est Mercurii fumus ad saniosam, putidamque salivam promovendam, tantum ex ejus usu recidivam patiuntur hi, qui gummatibus, nodisque plexi, & fævissimis ex lue venerea doloribus cruciati certum Mercurii fumum intus non admiserint, quod partes omnes à seminio venereo infectas non valeat subigere. Hinc est quod ab indeterminatis agentium viribus ab incerta quantitate Mercurii in fumum resoluti, & intus elapsi pendentibus, fortitur eventuum inconstantia, quæ licet repetitis tentaminibus, rationeque expiata dubiam semper, infidamque methodum constituit.

Nec feliciori successu cingula jam veteribus pro cura scabiei adhibita in gallica lue experiuntur. Mercurium saliva, & sevo extinctum in ovi albumen includunt, illinuntque suprà gossypium, quod in cinguli modum consuunt. Hinc cuditur famosum illud sapientiae cingulum, seu Mercuriale Rulandi, quod est pannus lineus unguento mercuriali illitus, qui ad lumborum regionem applicatur. Attamen ab hujusmodi topicis ex magna rerum innumera- rum congerie conflatis medicus cautus sit, ne confidenter nimis expectet bona, audacterque nimis utatur: si haec Mercurii per poros cutis in sanguinem repentis genuina, ac certa nondum innotuit methodus. Unde forte remedio magis, quam morbo confecti libithinam non valent effugere. Excussis itaque dubiis, ac incertis hydrargyri, externo illitu, suffumigio, & cingulis, ad accuratiores Mercurii præpara- tiones absolvendas mihi volupe est mentem revocare. Mo- dò verò ad salivationem ciendam plurimi utuntur turbith minerali, quod est Mercurius spiculis acidis olei vitrioli far- citus. Mercurius vivus oleo vitrioli combinatus ad mini- ma dissolvitur: post dissolutionem igni lento committitur, & distillando educitur humiditas; indè in fine aucto ignis gradu ultima pars spirituum dispescitur. Restitans massa dein in aquæ tempore sufflata in pulverem flavum momen- to temporis evanescit, quæ leviter mellita paucis lotioni- bus validè vomitum, & sedes concitat. Spiritus acidi præ- cipitati forma Mercurium induentes excitando in fibris speciem motus momenti majoris impetu acutorum salium vehementiori eas ità urgēt, vel his ità occurunt, ut ad stimuli locum partes nervorum in eo situ ad contactum positas, & in ipsos occurrentes, quasi divellant ab invicem. Ab hac vi stimuli divulsæ membranæ, & universi corporis villi naturali contractione contractiles validius contrahun- tur, adeoque per nisum partium majorem, & vividiorem fibrarum flexionem vividius urgebitur quicquid est ad mem- branarum contactum, sive intrà ductus, è glandularum inania positum. Unde dimovebuntur magis contenta li- quida, quam si nervorum fibrillæ leviter oscillarent: per tremorem

tremorem autem illum, & spasmodicam tunicarum contractionem, si quid erit mobile, & expressile, à dehiscentibus ventriculi glandulis intestinalium osculis, papillis, ductibus, quā poterit, derivabitur. Retusis verò spiculis, aqua communi pluries edulcoratis, & sèpè abluedo hebetatis, mercurialis pulvis omni acreidine, & falsedine spoliatur: Ità pungentibus salibus, & purgantibus exutus felicius sanguini fermento gallico effato commiscetur, ut promptius cum fluidis affluens oris fluxum promoveat.

Verum genuinum minerale turbith à peritis chymiatris non à Mercurio vivo cum acidis educitur, sed ex sublimato præparatur. Mercurius sublimatus dissolvitur in aqua pluviana calida, solutio aliquoties filtratur, filtrato mercurio guttatum infundatur tantum olei salis tartari, quantum putetur requiri quoad in fundo subsistat pulvis, rubeus, qui aqua communi edulcoratur usque dum destituantur omni acreidine; indè cohobetur cum aqua mellis optimè rectificata sex, vel septem vicibus, quibus terminatis eximatur pulvis, qui in vini alkohol suffunditur, continuoque motu circumfertur, donec vini spiritus protinus assumatur.

Si verò Mercurius cinnabari elitus dissolvatur spiritu nitri, cuius dissolutioni aqua sale marino confecta projiciatur, indè volatili spiritu superaddito salis armoniaci in summè albicans præcipitatum mutabitur. Hoc ipsum aqua fontis abluitur, ut à scoriis salinis, & partibus terrestribus vindicatum felicius salivam movete possit. Sal Marinum, vel ejusdem spiritus ex rigidioribus moleculis, & crassioribus corpusculis conflatus in hanc dissolutionem impingens sui impetus percussione, & directionis momento nitri spicula diffringit mercurialibus particulis turgida. Unde Mercurius à nitrofis salibus dissociatus suo pondere ad vasim fundum fese compellit. Sic quoniam spiritus salis armoniaci volatilis ratione salis alkali est majoris motus, & momenti, ut possit liquoris particulæ salis Mari- ni excutere, cuius moleculæ minoris agitationis, & impetus non appellunt, penum præcipitationis auget.

Alius

Alius paratur Mercurius in spiritu nitri dissolutus, qui lento igne difflata humiditate in candidam massam facescit, & ignis torturam patiens dum calcinatur rubescit. Spiritus nitri, & Mercurii corrosiva ramenta, dum calcinatione per ignem exagitantur, mutuis nisibus in se invicem agunt, eorumque renis aculeata salia retundens subtilioribus metheorizatis septicam materiae coalescentis aciditatem demulcet, quæ licet calcinatione minus gravis, & caustica fiat, fungosos tamen villos exedit, & ad salivationem excitandam periculo non caret. Hæc verò spiritu vini rectificatissimo pluries combusta resolutis salium aculeis ita oblinitur, ut omnibus votis salivationem compleat.

Galli saniori consilio panaceam venerea lue confectis tunis exhibent. Hæc enim est sublimatus dulcis salibus terreo erosivis spoliatus, & pluribus sublimationibus lenitus, qui suprà porphiritem contritus in alkohol redigitur. Hic pulvis in cucurbita vitri coercitus spiritu vini irroratur, dein eburis spatula passim agitatur, ut hinc post plurimum dierum infusionem in balneo mariæ projecto totus vini spiritus destillando eliciatur. Quo spiritu in vaporem sublimato panacea in fundo vasis reperitur. Vel sublimatus dulcis dissolvitur in spiritu vini, ejusdem solutio filtratur, & spiritu vitrioli præcipitatur. Hic mercurius vasis fundum dum petit, ut nix candescit: Inde aliquoties aqua calida dulcificatur, ut in sacharinum abeat præcipitatum: tum demùm huic superfuso spiritu vini destillatur ter destillationem reiterando. Repetitæ diù destillationes: sublimationes salium spicula rigida sublimati corrosivi resindunt, aut eorumdem salium ramenta partim detrahunt, quibus si intimè erosivæ acridinis aculei non diffingantur, particulæ sulphureæ spiritus viri intrà poros sublimati conclusæ furentia salia oblinient, partibusque ramosis lævigent. Ab hac panacea non multum differt illa Valentini, quæ æquè tuta, ac jucunda in oris excitando fluxu sanctitur. Hæc panacea absque glandularum exulceratione levi labiorum dolore, & minima genarum inflatione salivæ cursum molitur,

molitur, qua in mollis, ac tenellæ constitutionis hominibus passim utimur. Cum verò virulenta ulcera, & sordida, tophi, & saniosæ crustæ corpus defædantes veherentibus ubique doloribus obsident; tunc virus illud liquidorum crasæ prorsus evertens panaceæ blanditia sæpè integrè non pellitur, & superstes deindè depravata sanguinis constitutio majori fluidorum solutione expugnatur.

Quamobrem mercurium dulcem in forma pillulari tanto hosti unicè parem commendo. Mercurius ab acido salinis aculeis penetratus in minimos, & infinitos scinditur globulos, quos undique acida spiritus nitri corpuscula permeant, eorumque ramentis irretiunt. Hæc massa alba restans, evaporata igne lento arenæ humiditate, æquali vitrioli calcinati, & salis decrepitati portioni commiscetur, quæ mixtura in matratio reposita igne exagitatur, donec in vasis culmen repens secum trahat corrosivos spiritus, à quibus repreſa volatilitate, & ab acidis cohibita dissolutione in spiritus, concrescit in chryſtallos. Hujus sublimati particulæ, & motus parvulorum globulorum calore promotæ, impetuque rotatæ, quasi minimis cultris fibras dilaniant, undè summum venenum audiunt. Acutorum salium in Mercurio delitescentium & in parvo spatio coëuntium impetus cylindrulis suis ad pyramidem in fine basis, & apicis accendentibus ad angulos rectos in fibris membranisque occurrentibus eo urget momento, quod ad membranarum poros, & cohæſionem fibrarum superandam requiritur. At mirum dum acuta ſpicula sublimati corrosivi in matratio circulantia, in pallas mercurii vivi validius rotantur, mutuis nisibus congradientia franguntur. Hinc per ſolam hydrargyri additionem repetita ignis actione in novis ſublimationibus retufis salibus, eorumque cuspis novo mercurio imbibita in sphæram evadens, vel complana ta omnes partes æqualiter impetit, adeoque ab eis æquali momento collifa, & ad quem reddit repercuſſa ab ambientibus ſolidorum membranis absque ſeptica facultate irrum pit in ſpatium liquore plenum, & ante ſui exclusionem di versa mole, & gravitate, adeoque diversa motus quanti-

tate instruēta in resistentia corpora vires, impulsus, motus variæ directionis, & allisionis exerendo intrâ sanguinem viscida solvendo habitur. Mercurium dulcem non inferioris frugis conficies ex Mercurio sublimato & Mercurio vivo, ex quo fonte promanat Clarissimi Riverii chalomelanos, quod ex Mercurio, sale, & vitriolo compositum duodecim sublimationibus ad summum excellentiæ gradum evehitur, quibus Mercurius vitæ additur eo modo quo à Riverio describitur. Recipiatur mercurius sublimatus, & argentum vivum cinnabari elicitum & misceantur exactissimè, donec mercurius vivus non amplius appareat, postea sublimentur, & duodecies sublimationes reiterentur. Hujus Mercurii dulcis cum mercurio vitæ quadrupla, qui amiserit totum intùs latens venenum per exhalationem terti ac fætidi fumi, ne vomitum cieat, quadrupla inquam major misceatur, & fiet pulvis colore griseus.

Hæc fialagoga medicamina indicantur à speciali humorum vitio, & peculiari sanguinis dyscrasia, quæ viscidæ, crassæ, glutinosæ acrimoniae volatili innititur, in qua crassi omnium quasi liquidorum vitiosa salino-volatiles moleculæ fluorem acquirunt, & lymphaticæ sanguinis, crassoque terreae particulæ figuntur, ut indè salibus acrioribus imperium naestis, & parte sanguinis viscida ulteriori coalitu unita glutinosum cum acrimonia conjunctum æmulentur. Hæc glutinosæ acredinis sordes per coitum impurum poros urinarii meatus, & prostatarum glandulas coinquinat: indè subdole fluidis in gyrum rotatis impressa sua aciditate erosiva volatili maximè cavos glandularum folliculos post infartum exedit, membranarumque substantias cum vasculorum erosione, & pustulis ulcerosis depascitur. Hæc intima magis proserpens ossium periostia cum dolore præcipue noctu lancinativo medios artus occupante, ut & flexurarum rigiditate convellit, divellitque, ossaque carie, atque tophis confecta fascinat. Igitur coinquinatae omnes sanguinis moleculæ, & ulterius pressæ ab ejusdem acidis coagulantibus fortiori amplexu cohibentur: cæteris interim mobilioribus & salino-acrioribus fluidorum dilabentibus particulis ipse sanguis

guis crassus, atque mucilaginosus evadit; quo magis mobile sanguinis implicatur quoque ac torpore afficitur, ut àgrè pensum circulationis expleat; ipdè à fibrarum tono ex indebito liquidorum appulsi non suffecto, & sanguine salibus volatilibus, & partibus crassioribus turgidulo non reparato, tum liquidorum, tum solidorum morbus pas- sim contingit.

Liquidorum verò prohibentium conditio est salina materies magis attenuata, quæ involventibus acidis orba- ta fit acris, & cum oleosis tenuioribus permixta volatilis fætens evadit. Altera autem pars sanguinis fixioribus sali- bus, & oleis ramosioribus simul tenacissimè combinata in densam fecem, & salino-adustam mutiaticam concre- tionem: illa ob acrimoniam alkalinam volatilem produ- cit in sanguine partium solutam cohærentiam, quæ disso- lutio actiones omnes solidarum, & liquidarum partium turbat, & destruit: hæc minimorum canarium coalitum facit, & in glandulis obstruktiones pertinaciter firmat.

Quoniam per aciores mentis conjecturas oculatissi- mo examine prosecutas, perque repetita tentamina soler- tissima medicorum experientia suffulta à pluribus simulque latentibus melancolici humoris proprietatibus, ac viribus exortum morbum salivationem contemnere compertum fuit; ne experimentalis veritatis incremento litemur, fa- teamur opportet, sanguinis particulas salium adustas nimis evectas, fluoremque patientes, summè activas Mercurii vires eludere, terrestrioribus sulphuris corpusculis associa- tas. Cum strictiori amplexu salium particulæ adunitæ ità pertinaciter cohærent, ut cuicunque solventi imperviæ reddantur, arctissimæ eorum meatuum complicationes, à nexu laxari, & in menstrui amplexu rapi non queunt. Quocumque igitur vinculo se invicem assidentur salium concretiones ut retuso impetu Mercurii, ejusdemque par- ticularum penetratione à solidiori concreto repulsa difficil- limè divelli, & in minutissimas partes confringi resistant, eorum solidæ concretionis compages prius laxata, nec re- clusa auferri non poterit. Tantum intercedat opportet mer- curiales

curiales moleculas inter, & adustas salium concretiones, variis quoad qualitates, & corpusculorum nexus unam in massam coalescentes, discrimen, ut cum mutuis coalitionibus arctè adeò complectantur, ut parvula nulla intervalla, porosve improportionatos relinquant, mercurialia corpuscula in salina concreta offendentia facile excludant; quæ sanè maximè licet poris instructa discrepantibus tamen naturæ agentis, in aggredientis prementes impetus nitentes, facile suprà solventis nisum resistentias exercent; Itaque intrà melancolici humoris nexus tenuioribus mercurii corpusculis non coercitis, concrementi partes eorum motu ab invicem non divelluntur.

Hinc carcinoma recudentes adustæ salium molecułæ, si volatilioribus sanguinis partibus in auras resolutis, copiosiorique aquearum particularum dissipatione, resolutis spiritibus exhausta, nimis evectæ, fluoreque potitæ cum vitriolicis, acidisque particulis, & terreo-sulphureis crassioribus combinantur, quæ ad ductus glandularum delatae firmius in earum fibris inhærentes folliculo includuntur, dimoveri inquam non possunt ab earum complicatione, licet ab impetu Mercurii percussæ, quarum tumor si fortiori phtyalismo oppugnetur, ejusdem subtiliores particulæ à gravitate impellantis saepius commotæ, ejusque impetu allisæ, dum mutuis nisibus agitantur, salium ramenta validius concitata momentum acquirunt, indè in comprimentes fibras cuspidula insigunt, & villos glandularum ab invicem divellunt, quibus sensim discissis, ac corrosionis cancer sub forma tumoris delitescens fatali clade inopinato prorumpit. Ex quo satis liquet, componentes cancri particulæ, aut à Mercurio non diffingi, aut ab eodem accendi; undè illud Nasonianum.

Curando fieri quedam pejora videmus

Ulcera, quæ melius non tetigisse, fuit.

Feliori licet eventu eruptiones omnes papillarum squamosæ evanescant, dum in graviori impetagine, & lepra salivatio cietur: tamen nova eorum morborum seges pullulare incipiens brevi temporis spatio solitam feritatem

tatem attingit, ut observavit Villis in quatuor ægris impetigine laborantibus. Effectus hujuscæ causa in eo consistit, quod intimus partium sanguinis mechanismus particulis non solum acido-salinis, tartareisque diversimodi status, ac indolis effætus, sed salino-acri volatili alkalina materia turgidus à salivatione penitus subigi, ac prorsus resolvi nequeat: adeòque superstes labes sanguinis, & humorum acrum indoles primitus constitutiva post evanescentes papillarum corymbos, juxta materiæ supplementa in concretiones tartareas facescens in cute defigitur, ubi papillarum eruptionibus, quasi totidem hujuscæ morbi loculamentis incoactis, processu temporis aucto morbificæ materiæ cumulo, superficies cutis omnis incrustatione squammosa, ac planè ad lepræ confinia evecta obducetur.

Ut enim adustam saliam concretionem inani molimine phtyalismo pessundamus: ita eadem debiliores, vitioque plurimos laborantes pulmonum, vel hæmophthisi confessos, infami errore necamus. Si enim naturalis pulmonis vasculorum capacitas, ex fibris mollibus, summeque deductilibus coalescentium augeatur nimis, ut partes canalia constituentes sic divellantur ab invicem, ut minimis oscillationibus nitantur in fluentia liquida, colliquati fluores confertim per eorumdem cava trajecti, cum intimè non sint soluti, ut per impetum à corde susceptum super omnes resistentiarum vires excurrant, facile in distensis vehementer fibris, in cellulosis vesiculis, & inanibus spatiis intercipientur, quibus novo semper, ac semper affluente humore per capillaria ramuscula, vesiculæ ex illis prodeuntes, & racematis adhærentes mirum in modum ita intumescunt, ut humor ratione inertiae non diffatus in parva tubercula excrescat, quæ dein dum à pulmonum pressione, motuque incessanti incalescant, in suppurationem abeunt, & in tabem lethalem terminantur. Quod si ultrà tonum dilatata vasa à pondere mercurii in majorem extensionem deducta, licet ex majori distensione majorem natæ sint ad comprimentum vim, tamen ab impetu sanguinis majori in arteriarum parietes nitentis, & particulis

mercurialibus eadem ad ulteriorem distensionem cogentibus, tandem distractis plurimum arteriarum membranis eò distensionis deveniunt, ut vim urgentis ad latera sanguinis, ejusdemque particularum momentum impetus ad vasculorum contactum motarum substinere non possint: adeòque aucta potentia sanguinis arteriosi extrorsum arteriarum minimarum membranas urgente, & earumdem imminuta resistentia ob maximam distractionem subito divellentur fibrillæ, restitutionis vim in nimia distractione non observantes. Horum autem potentia ad se restituendum cum in partium coalitione consistat, hæc ex frequenti sæpiusque repetita distractione enervatur, adeòque restitutio- nis robore plurimū imminuto, muscularis fibra arteriæ sectionem angustare nitens inofficiosa subsistit. Igitur opus est, ut arteria existente distracta, novaque majoris momen- ti potentia fluidis applicata diffringatur, vel laxetur fibra- rum componentium nexus, per quos sanguis inopinato pro- rumpit, & sanguinis sputum plerumque fatale subsequitur, quod observavit Nicolaus Lemery in suo cursu chymico lethali experimento.

Aliquando in spongioso, & molli pulmonum parenchymate cretacei lapides sèpiùs concrescunt, qui ubi angulati sunt pulmonum motu, & gravitate mercurii com- moti teneram eorum substantiam lacerare solent; quo tufsis vehemens, atque arida, dolorque thoracicus non rarò cum sanguinis profluvio satis insigni, atque exindè ulceræ cum signis phthiseos pulmonaris nascuntur. Verùm isti lapides sint læves, neque qui pulmonum parenchyma tere- re, vel lacerare possint; at concidant canaliculorum par- tes facile dilabentes, ratione imbecillæ virtutis, qua ad mutuum contactum sistuntur, quorum minimi villi, qui sunt veluti totidem languidi vectes uniti, adeòque parva- rum virium capaces, dùm ad motum à fluenti corpore majori impetu instructo excitantur, iners illa efficitur va- forum vis & fibrarum minor ad contractionem nifus, qua debili minimorum solidorum energia sistitur ad partem flui- dorum motus, indeque fit, ut mercuriales particulae à re- sistentiæ

Sistentiae loco repulsæ, à repercutiente validiori impetus momento instruantur, atque vires percussionis in contingen-
tes villos exerceant; quorum teneræ, ac laxæ fibrillæ maxima distensione coactæ à nova jugiter affluente materia infirmius nituntur in contenta fluida; & cum à languido nisu villorum, particulas fluidi viscidiores, & mutui magis resistentes premente, non fiat lensor liquidior, ut sejungi, & sese expedire possit, evadet ille ad motum difficilior, & ratione lentoris tenaciùs hærentis extremitatibus canaliū augebitur pulmonum infartus, quo vasa illa tenera coarctata, & compressa liberum transitum præbere non possunt circulantibus fluidis: indeque continuo appul-
su novi liquoris ad partes pulmonum compressas tendentis, & præterfluentis ad latera urgentis, vasa ultra tonum dilatata, & distenta tandem rumpuntur, quæ viam ad pul-
monarem phtysim sternere solent. Unde quotiescumque liquidorum lensor universalis, & vasculorum infartus tol-
lendus erit, sed aderit pectoris dolor, tussis, aut tuberculæ delitescentia, imminuetur quidem fluidi crassities, at cruda pulmonum tuberculæ parvo dolore latentia saliva-
tionis agitatione incalescunt, & inflammata suppurantur, quæ in habitu primo phtyseos delitescentia in irreparabile exitium terminantur.

Nec feliciori eventuum certitudine in nervorum tre-
more salivatio expetitur. Cum autem ad motus requira-
tur contractio musculorum maximè æquabilis, atque con-
tinua, si spiritus per nervos influat minori copia, quām
par sit sustinendæ tensioni fibrarum, nervorum tubuli da-
to temporis spatio à derivatis spiritibus solùm inflati eleva-
buntur, & demittentur alternè, unde continget tremor;
cujus tremoris species in villis impressa, si à comprimente aliquo, vel obstruente, adeòque spirituum influxus inter-
cipiente inferatur, salivatione planè tolli, atque averti po-
terit. At in senibus, & imbecillibus cum tremor à debili-
tate nervorum, & lucta spirituum proveniat, erit ille com-
positus ex repugnantia nervorum ad excipiendam pressio-
nem in fibris à spirituum expansione, & nisu, quasi laxa-
tis per

tis per membranarum divulsionem diuturno tremore fatigentium, & inertis nervosi liquidi elatere flexuosos canaliculos, minimasque tilias non replente, qui in labentibus villis obvius, & earumdem distractione subortus, cum eorum tenuissima filamenta ad æqualem contranisum inepta tonico motu non æquent mercurialium percussionum vibices, tremor idem non modò persistet, verùm major succedet.

Ratione non longè diversa malè sputatio cietur in eo, qui motibus convulsivis à lèdente externo illatis obnoxius evadit. Ità quicumque cerebro debili, aut nimis rara, & laxa nervearum fibrarum textura prædicti ex adunatione partium minimarum connisu in cohæsione tam parvo suborta, ut levi motu solvi queat, morbis nervosis tentantur, aut paralysi ex magna villorum siccitate musculorum flexionem dirigidantium prohibente, vel ab eorumdem resolutione motum coercente (quorum pars affecta protracto morbo contabescit) à mercurialibus obducantur. Gravia enim Mercurii corpuscula nimis mobilia fluendo per propriam nervorum substantiam, immò superatis innumeris diversiculis, & impedimentis, motus suos ubique perperām diversis directionibus, ac velocitatibus, quibus pollut, communicant singulis machinulis totius nervorum fabricæ, & poros impervios memoratae particulae commeantes hanc illac inæqualiter nervos excutiunt; & quia eorum meatus, inanitates, & interiecta spatiola sunt mollia, contracta, & diversis fæculentiis referta, impediunt flexuosis tricis, atque intersecationibus invicem inclinatis, ne mercuriales moleculæ cursum molientes æquali undique nisu spongiosas fibrarum penetrant, fit ut motu celeri & perturbato machinularum dimoveant nexum, indeque deflectantur quocumque, tanta cum virium inæqualitate, quanta videtur necessaria ad implicatam nervorum substantiam raro villorum fædere copulatam diruendam, variisque quaficationibus villos contractiles, nervorum filamenta, & fibras membranarum assidua stimulorum vi laceffendas ordinata: adeoque imminuta vi cohæsionis inter exilissima corpuscula

corpuscula ità enervatur villorum, & filamentorum consis, ut humoribus tiliæ madescentes ad instar spongæ tanquam cera emoliantur, & pondere mercurii maceratae à proprio termino recedant.

Hinc cum Mercurius vivus infensissimus sit nervis, ideò qui pro salivatione unctionem passi, saepius laborant gravioribus nervorum affectibus, à residentibus (ut plurimi chymicorum cum Lemery fassi sunt) hinc indè mercurii particulis, optimè auro curantur, testante Ettmullero; undè Zacutus Lusitanus unguentum mercuriale conficit ex auro, ut crassiores Mercurii particulæ per totum corpus diffusæ post salivationem in fibrarum interstitiis restitantes, promptius se insinuent in aurum. Si intrà nervorum spongiosam substantiam viscidis implicatae subsiderent crassiores mercurii particulæ, nequaquam elicerentur ab auro. Verùm quidem est, si aurum atteratur (si verò attéri potest) in partes adeò minimas, ut earum corpuscula habita ratione molis, & gravitatis energiæ, reddantur sanguinis particulis levitate paria, & rapi cum fluidis apta, venereum luem tutius auro, quam mercurio sanari. At licet aurum in minutissima sui corpuscula redactum sit, adhuc continet moleculas, quæ à sanguine evehi resistunt, quæque nullo artificio hactenus cognito ad tantam attenuationem reduci possunt, ut in minimas atomos confertæ sanguini hærere, motuque fluidorum rapi possent. Qua ratione licet moleæquales, sanguine tamen graviores auri particulæ à liquidorum commercio seclusæ, nullas in mercuriali sulphure vires exercere poterunt. Quibus verò mollem fibrarum texturam finxit natura, aut qui in mercurii fodinis continuò marcescunt, nervorum labe non carent. Ob jugem solidorum colliquationem, & fibrillarum macerationem à mercurialibus corpusculis intus suscepitis, contabescunt nervorum fasciculi, qui perperam à nimio mercurialium impulsu indesinenter lacescunt fatiscunt; undè vasorum tono subrepto, tollitur eorumdem nifus in fluida, ex quorum retardato motu, & virium solidorum inertia complicatus morbus emergit.

Cum verò sanguis præservidus existens à recta tempe-
rie desciscit, & ejus sulphureæ particulæ prædominio po-
titæ sibi salem asciscunt, quæ invicem allisæ, proindeque
in minimas solutæ moleculas nimium in fluorem evehun-
tur, liquoris mixtione alterata intimeque fusa ejusdem na-
turali consistentia inordinate solutus dyscrasiam sulphureo-
salinam, & falso-muriaticam acri-alkalicam in dolem in-
duit, cuius sulphuris, & salis concretiones perpetim huc
illuc dispersæ, exterius suffusæ maculas, & ulcera, interius
depositæ dysenterias, & dolores pariunt. In hanc sanguini-
nis soluta fibrarum cohærentia, in quæ nimis tenue cogen-
dum, & acre involvendum, dolosæ artis opus erit hunc
morbū solventi ullo sialogogo tentare.

A R T I C U L U S I V.

De Mercuriologia.

Quandoquidem multis retrò ab hinc annis ab explo-
randis mercurii viribus, reluctantī licet animo to-
tus abstinuerim; animus tamen nunc meus in illius con-
templatione ita rapit ingenium, ut mihi videatur non abs-
que aliqua animi voluptate, & me non injucundo mune-
re versari, si extricatis specierum mercurialium præpara-
tionibus mercurialibus, quibus ambiguæ communium au-
torum notiones nos involvunt, examinandas attentiùs
mercurialium vires intentavero, dum eas simul colligere
conor, quarum delectatione non immerito allicimur ad
elevandas cogitationes, mentisque aciem acuendam,
quibus sublimè de tanta mercurii excellentia nostræ utili-
litati comparata cum chymicis gloriamur. Totus admir-
ationis nostræ scopus in eo vertitur, ut nobiliores sum-
mi illius entis mercurialis usus depingamus, quod quo
diutiùs contemplamur, eò magis ad sui admirationem ra-
pimur. Hanc autem occupationem, qui abjectam, minus
que utilem putaret, ipso etiam in Medicinæ cælo felicita-
te ca-

te careret. Licet autem meam sub eadem tenuitatem sincero sensu animadvertam, nova tamen in dies phenomorum, & præparationum materia cognitionem suppeditat, ut nec ulla tenus dubitem, quin exactioribus adhuc posteritas experientiis, ignotas nobis tum vires, tum præparations detectura sit. Non est ergo cur metuamus, ne nostra Mercurii cognitione de novo antecedentium, aut subsequentium defectu expiret, aut deficiat. Infinitus hic oceanus virium, proprietatum varietatem continet, de quibus longè difficilius cognitionem acquisivero, quam easdem percurrentes hausero aut enumeravero.

Ut autem rem ab ovo incipiam, contrà Galenum raxas concito, qui lib. 9. simpl. medicam. sibi minus constans, infido, & malesano artis convitio argentum vivum ex sponte nascentibus non esse, sed ex his, quæ præparentur, velut cerussa, ærugo, lithargyrum contendit, fateturque se nullum hujuscæ medicamenti fecisse periculum, an interimat si devoretur, vel ubi foras fuerit admotum. Alii porrò, Philosophorum, & Alberti Magni lib. 4. min. cap. 70. sententiam secuti, cum viderint argentum vivum quasi omnibus associari metallis, ipsisque facilitius contactu inhærescere, materiam ad omnem metallorum generationem commenti sunt, quæ in utriculis reposita, nullisque fictilibus vasis coercita, lignea vasa obvia quæque perrumperet; quo fit ut Dioscoridem mirari subeat, qui ab hydrargo vasa cuncta exedi, ac metalla quibus inhæserit destrui autumans, lethalem potum esse cum Plinio lib. 33. cap. 6. & 8. falsò deprehendit, quod internum cordis humorem, vitales sanguinis spiritus subinde congelans, suo pondere interna tandem diffingat. Galenus verò quamvis testetur alibi nullum fecisse experimentum contra Dioscoridis sententiam ait, Mercurii calorem eò perduci, ut per erosionem interimat. Conciliator ab his recedens in tract. de ven. eap. 6. dicit, quod argentum vivum ore sumptum, inducit hominem ad epilepsiam, aut apoplexiā. At dolendum sanè, infrugiferis conjecturæ cespitibus, dubioque experimentorum successu rem longè

attigisse: quorum cætus discordes, aut senio confecta mendacia renovare, aut commenta deliranti figmento excolare animus exhorret, quæ in artem inventa convitia fidenter convellit Agricola de re metallica: *Nuper autem inquit cum improba uxor marito aliquot vicibus argentum vivum dedisset devorandum, id sine ullo nocumento ejecit per alvum, quo mercurius uxore humanior optatum scelus non complevit: Hinc cecinit Ausonius.*

*Toxica zelotypo dedit Uxor Mæca Marito
Nec satis ad mortem credidit esse datum;
Miscuit Argenti lethalia pondera vivi,
Cogeret ut celerem vis geminata necem.
Dividat hæc si quis, faciunt discreta venenum,
Antidotum sumet, qui sociata bibet.
Ergo inter se se dum noxia pocula certant,
Cessit lethalis noxa salutiferæ;
Protinus ut vacuos alvi petiere recursus,
Lubrica dejectis, qua via nota cibis.
Quam pia cura Deum! prodest crudelior uxor,
Et cum fata volunt, bina venena juvant.*

Samberolitanus in commento ad Avicennam videt hydrargyrum abortus promovendi causa mulierem ad libram sumpsisse sine noxa; & hoc ipsum confirmatur à Fracastorio in lib. de simp. Brasavolus Medicus Ferrarensis vir sanè illa ætate clarissimus, in suo de stirpium examine, saepius dedisse fatetur argentum vivum devorandum vi vermium semimortuis infantibus, à quo velut è faucibus orci protinus à morbo evadent. Ità Gorritienses obstetrices, ubi gravidæ diù in partus labore, & cruciatibus innani conatu urgerentur, statim argentum vivum scrupuli pondere nullis incommodis, immò partus dolorem, & difficultatem lenientes potandum exhibebant testante Matthiolo lib. 4. in lib. 5. Dioscoridis; ex quo nihil mirum, quod scripserit Avicennas, *non deesse, qui bibant argentum vivum, & nullam inde sentiant noxam, quod facile labatur è corpore, dummodò haurientes continuò hac illuc deambulent.*

De qualitatibus Mercurii Fallopius disputans, unam in su-

in superficie, alteram in intimis partibus deprehendit, quæ calidæ suapte natura, atque siccæ, habent extrinsecus cum Aristotele partes aëris admixtas, à quibus impedita Mercurii concretione in fluidum corpus servatur. Avicennas, tamen frigidum, & humidum esse in secundo gradu existimat, cui consentit Averroes, ut refert Pandectarius. Fernelius de abditis rerum causis frigidum, & humidum in quarto gradu, quod confirmat Matthiolus lib. 6. cap. 28. & solvit ambiguitates circà ejus temperamentum exortas, ubi cum Plinio hydrargyrum vomicam ignis æterni, & sanguinem sistere afferente, addit argentum vivum interimere, si largius bibatur excessu summè frigido, & humido ex quodam seplasiario convictus, qui ardentissima febre correptus, siti intolerabili vexatus, delirio oberrans in pharmacopolium descendit, ut, quod laxaret sitientia, summeque arescentia labra, inveniret, & casu incidens in vas argenti vivi prò aqua fortassis vice multum ex eo potavit; sed paucis post horis congelatus migravit ad superos; dein patefactis visceribus in ventriculo innatabat argenti vivi libra, & circa cordis vas a sanguis concrescebat.

Ex suprà recensitis satis innotescit, antiquiores Græci, qui horrore quodam perculsi illum nec extremis digitis tetigere, quam admodum tenuem de hydrargo habuere notitiam: quorum vestigia calcant multi ex rudioribus Medicastris solo nomine Mercurii deterriti, qui, quorum virtus turpis est inscitia, & inanis existit suspicio, malunt ægros certo mortis periculo relinquere, quam anceps experiri remedium, despicientes illud Celsi, *tutum esse quod est unicum*. Horum dubitationis stultitiam convellit Iunkenii observatio. Mulier quædam utero gerens, puello ubera porrigens curriculo viginti mensium Gallico seminio inficitur. Hæc leviter inuncta Mercurio, cum tenello infante, etsi non lenito, salivationem patiebatur, donec mater, & puerus à celtica lue feliciter evasere. Indè post circiter labente mense inculpatæ salutis infantem enixa est. Ex quo, silentio prætereo praxin eorum, qui

nec mente, nec digitis mercurii vires adumbrantes, exhorrent, ne mercurius à calore vitali excitatus, quasi à Chymicorum igne commotus in sanguine sublimetur, quo septici, atque erosivi salis indolem nanciscente veluti à veneni furore ac clade, homo de medio tollatur. At in corpore fluido leni solidorum impetu promoto, qui calor, precor, gliscit urens, ut mercurii partes sublimet instar subtilissimi, ac erosivi cunei acuatas?

Ut modò accedam unde digressus sum, homogenei corporis mercurii explicatio tot hucusque fuit involuta difficultatibus, ut nisi feracior in his resolvendis posterorum industria, quàm majorum nostrorum, & nostra fuerit operosa felicitas, illud pensum esse censeo, omnes non tantum unius philosophi conatus, sed plurium seculorum tentamina extorquens; cum Chymicorum quoque examina, & sedula Philosophorum solertia propriùs intimam istius Prothei naturam solertissimè investigantium, ad hunc usque diem plus admirationis, quàm cognitionis, plus dubitationis, quàm certe demonstrationis palam fecerint. Revera naturam, & causas adæquatás mercurii perspicuè rimari, atque eruere, gravissimum mihi videtur onus, cui solidè absolvendo parem quemcumque hominem fore semper suspensus hæreo, Ut autem hoc in negotio non longè rem, & felicius scopum attingam, utque hydrargyri proprietatum, ac virium maximè veritas clariùs eluceat, veritatis auspiciis in arenam descendendo, placet spagyricam ingredientium præmittere analysim. At cum curiositatem meam intrà Chymicorum experimentorum cancellos non coérceam, ego adhuc juvenis non nisi angustam hactenus eorum suppellectilem mihi paravi, quibus absque Ariadnæ filo possim egredi, ut tam gravis, difficilisque pensi rem aperire mihi liceat?

E subtilissimis autem effluviis æthereis, ac fluidissimis conflatur mercurius, quorum volatilibus moleculis, & specificis particulis metallicis saturatus in fluorem evehitur, dùm rotundæ materiæ primi elementi moleculæ in Mercurio eminentes irretiri non possunt, in puncto contactus in vicem

vicem collisæ perenni motu exagitantur. Spiritus hic merculialis æthereus in subterraneis antris, & debitissimis seminiis matricibus coercitus, in metallicas minutias appellens sui generis, his amico fædere associatur, quas in minima ramenta exsolvendo in floris motum concitat, ac fluxiles reddit: adeoque compositus emergit perennis fluor, qui mercurius vulgi nuncupatur, cum in suis etiam repertus mineralis, licet metallorum mercurio non destitutus, recremento potius metallico constet, à quo si partes terreæ metallicæ, quæ sunt ingenitæ, ac originariæ metalli labes, artificiosa enchyrisi separari possent, quas per artem dissociare omni, sed inani conatu laborant Chymici, sublimior haberetur spiritus ab omnī metallorum consortio vindicatus, qui jaçtaretur ab illis per ignem, Philosophis mercurius de mercurio dictus; quippe qui metallorum mercurius nusquam reperiire detur nisi in Alkymistarum vana jaçtantia, inutili molamine, & falsis promissis, quod eorum quidam eò usque progressi sunt, ut stigma inusserint his omnibus, qui tales mercurium facere posse sibi arrogant, vel credulorum his, qui eumdem confiteri posse sibi persuadent. Huic opinioni famulatur Alchymistarum coriphæus Geber, ubi inquit, *continet argentum vivum in se spiritum internum viventem, & convertentem ignem, si de potentia in altum promotebitur.* Huic consentit Helmontius, qui tract. progyna. §. 14. sulphur externum, originarium metalli labem, separare jubet à mercurio vivo, ut fiat mereurius de mercurio, qui deinde nullo igne poterit in formam terræ præcipitari ob maximam sui simplicitatem, cum sulphuris terram amiserit, nulloque igne mutabilis erit. Ità Lullius sulphur inesse hydrargyro opinatur ex eo, quod nullum argentum vivum promptius convertatur in substantiam sulphuris, quam illud, cui sulphuris moleculæ ab origine sunt profundissimè dissolutæ, atque per dissolutionem intimius commixtae: Nec ullum sulphur promptius congelat argentum vivum, quam illud, in quo sulphuris qualitates per dissolutionem in mercurio cohibentur; ex quibus concludit argentum vivum non solùm è spiritu volatili, sed etiam è subtili sulphure compingi, ut in corpus summè fluidum coalescat. Hoc metal-

metallorum sulphur est internum ipsi mercurio, ideoque non magis ab omni corrosivo, quam ab ignis actione intactum remanet.

Mirum est quantum se torquent praoccupata Hermeticorum ingenia, omnes fermè in eo desudantes, ut mercurius purissimo æthere saturatus ab impuro carcere educatur, in quo latitans spiritus ille (ut Geber lib. 2. par. 1. cap. 4. Alchymis. Magister) felicius extrahi possit ad optatum finem; sed ah quantum deplorandum dolendumque! post improbum enim, & inanem laborem dolosæ artis fundamento innixum, credulos decipiendi gratia, & à dolo fruges captandi, tandem à scopo aberrant, ad quem collimant, atque orientem in occasu quærentes cum veste Diana acquirunt. Externa quidem facie mutabilis est mercurius, ut varias induat larvas, & ludat corporum formas, & si eo redigatur, ut nonnihil ab acidis coercitus aliquot horas fortiorum ignis torturam patiatur, nihilominus vel spontè denuò caput exerit, vel facili negotio in vivam formam per alkalia resuscitatur, Qua ratione in terræ poris in liquorem albicantem conversæ ita pertinacissimè se invicem adhærent, ut licet minutissimi globuli per microscopium adhuc in conspectum veniant, tamen variè revoluti, atque ita intertexti, ut à nullo Chymicorum labore ad hunc usque diem eorum nexus potuerit exolvi, à quibus curiosi Spagyristæ maximo errore falluntur. Jam satis superque innotescit versipellis: præparationibus larvari mercurium in habitu ejus externo, dum à diversis menstruis mutatus modo in liquorem cum oleo vitrioli subflavum, modo cum sulphure in volatilem cinnabarim transformatus: quippe qui salinis corporibus sursum raptus, salium formam, cum regulo Antimonii, butyri, oleique substantiam induit; nihilominus addit Fridericus Hoffmannus tantum abest, ut hæc involucra salina, aut sulphurea, partes sint Mercurii constitutivæ ex illius substantia elicitaæ, ut potius composita sint corpora ex mercurio, & menstruo ad ipsum larvandum adhibito, uti exinde ex reductione Mercurii in pristinum fluorem abundè elucet. Ideoque cum altioris

altioris sit indaginis intimus mercurii nucleus, non attingitur, quo à mutuo amplexu desciscentes elementares moleculæ in salia, ac sulphura facescant. Igitur licet variis modis tractatur, nullo modo est coercibilis, quin ubi optimè fixatus putatur, insalutato hospite fugam molitur. Ita Bartolus summus Astrologus Mercurium ad tantam coegit fixitatem, ut nesciret quomodo in convenienti illum includeret vasculo: sed nescio quo motatus, fortissimo addito igne, inopinato mercurium igne rapi conspexit: tanti nempe laboris est genuina ejus fixatio, ut cum vitriolo, & alumine in corpus mediocriter fixum redigi possit.

Borrichius, cum lamella martis in mercurium vivum projecta intrà vas coercitum, brevi post tota in rubiginem conversa reperiatur corrosa, acidum metallicum occultum intimiùs hydrargyro associari fortassis, si conjecturæ præstanta fides, à recto non aberrat. Hoc si in debitibus vasculis contentum igni exponatur, miram aquæ insipidæ copiam elargitur, intacto semper manente mercurii pondere, ut Raymundus Lullius docet, Boyles in chymista septico, & Joannes Agricola in Poppium testantur; sed aqua educta, cum remaneat mercurii pondus, de quo dubitare licet, (si ab aëre non subministretur) num sit primorum miscibilium constitutiva, adeò ut nuda ignis actione possibile sit Mercurii partes in secundum novos, differentesque modos disponi, ut modò hanc, modò illam habeant corporis formam, licet ignis impetu commotæ partes in alias substantias omnino diversas coalescere non possint.

Alia metalla ingredi hydrargyri naturam censet Boyles in tract. de coloribus, ubi solutiones Mercurii ab aqua forti peractas, non raro virides, observavit, qui color (ut inquit una Fridericus Hoffmannus de cinnabari nativo) sine dubio dependet à particulis immixtis veneris. Sed accuratiùs paulò si lubet pensitato experimento, suspicio non levis notæ innuitur. Cum spiritus aquæ fortis acidus aggrediatur globulos mercuriales, seque intimè ipsis agglomeret, atque interponat (solutio autem nil aliud est, quam intima interpositio particularum solventis intrà pos-

ros corporum solvendorum) particulæ vénieris in sp̄iritu vitrioli in aqua forti eminentes, in mercurii corpuscula nituntur, & reactionem passæ exolvi possunt; undè solutio illa vitrioli veneris cum solutione mercurii commixta fas est dubitare, an solventi menstruo, vel soluto corpori debeat.

Descriptiones, quas nobis de istius corporis ingredientibus tradunt, adeò implexæ sunt, ut etiam illi qui notiones Chymicorum conati sunt polire, atque illustrare, fatueri teneantur, nescire se quid velint. Igitur spiritus æthereus subtilissimus, & summè mobilis, cum metallicis particulis primogeneis constituit vulgi mercurium, cuius sphæroidei globuli agilitate naturæ suæ propriæ, sive metallicorum corpusculorum ad hoc necessaria figurarum mutatione, & solidæ cohæsionis resolutione, in puncto contactus sese tangentes, his intexuntur poris, quibus agitari queant ab ætherea substantia, utque particulæ admodum minutæ, licet pressæ ordinationi corpusculorum coordinatae, non quietis expertes, multifariis, & indesinenter suis motionibus corpus metallicum in statu fluiditatis servare queant. Nec fluida forma corporis mercurialis levitatem redarguit, cum idem constet particulis in minimo volumine tam solidis, & tam numerosis, ut non obstante intestina eorum motione, corpus quod componunt, summè ponderosum esse queat.

Licet aurum admittere recuset ullum corpus ad se ul latenus intimè, aut permanenter ipsi associandum, ut illud fatis firmiter ei aglutinatum possit intrinsecè alterare: tamen Mercurius vivus ità redditur idoneus ad aurum usque adeò penetrandum, & cum eo sese tam intimè permiscendum, ut hujusce metalli particulæ, quæ tam arctè quandoque agglutinantur, ut, inquam, non sine difficultate ab auro divellantur. Mercurius constat particulis ità aptè figuratis, ut in auri commissuras, ad ejusdem solidarum partium tricas investigandas sese possit insinuare, cuius corpuscula nec majora sunt, quam ut poros, aut corporis auri inania introire possint, nec minuta adeò, ut eadem facile

lucis

lucis ad instar trajiciant, vel ut ob exilitatem nimiam partes, quas invadunt, solvere nequeant: sed pororum auri diametrum exactè adæquant. Quæ Mercurii corpuscula cum sint agilia, aptaque ad motum, ut impetiti corporis albare queant partes, ab ipsa atmosphæræ pressione impelli, intrudique possunt in poros auri non impletos substantia, quæ tantum resistens, quantum communis aër, æquali nisu non nititur in urgentem mercurium, gravitate, ac pressura ambienti prævalentem. Cum autem Mercurius per accuratas auri commixtiones dividatur in particulas summè tenues, & per externam hanc commixtionem acquirat multò plus superficie, quam priùs habuerat, undique ferè tangit auri particulas, quæ in sua superficie mercuriale massam exhibere videntur. Agitatione deinde Mercurii corpusculorum his in auri poris, ac commissuris à libere vagante materia ætherea promoveri potest auri motus, & incandescentia, ut Boyles experientissimus pluries observavit de producibi: chymi: principi: aut ex repetitis ictibus, variisque innatantium ipsius Mercurii corpusculorum pulsibus; hinc intromissæ particulæ tot veluti cunei intrò adacti, partes auri, inter quas insinuant sese, emolliunt, aurumque incandescent duritatem amittit.

Virtus anthelminthica summa viget in mercurio, qua vermes occidit, fugatque lumbricos. Cum implicita vermium substantia sit molli, & distractili vasorum fædere copulata, tum diversarum pressionum, tum quassationum, accommodatur ad recipiendos illos humores, qui facile penetrant inanitates spongiosas, & vasorum diverticula, atque glandularum, immò villorum omnium cava, quorum pervia, levisque earumdem machinularum textura exsugit non sustinendi ponderis invadentes particulas, quæ minima mercurii segmenta mirè solidis vermium partibus irretita, nova majorique motus vi dimota impetum acquirunt; idcirco dum sese liberant à vinculis pororum, atque vermium anfractibus innumeris ictibus, simul percussint singulas villorum machinulas, eas distrahent, resistentias inertes dissolyunt, ac proptera innumerabilibus per-

cussionibus, ac impulsibus depellunt huc, & illuc non solum humores totam vermium fabricam, itemque eorumdem nervorum tubulos accolentes, ut debitè non respondeant viribus solidorum, verùm flexuosis tricis, atque intersecationibus invicem inclinata vascula divellunt, ut eorum fibrillæ non resistant particulis nimis mobilibus, eorumque sphærulis penetrantibus, confricantibus, & penè dixerim erodentibus solidorum substantiam, quæ tametsi aliquantum mercurialis liquidi impulsui resistat, nihilominus corporis jugiter gravitatis irritationes, & distractio-nes cujuscumque partis ità sensim intenduntur, ut omnes villorum tiliæ à ponderantibus cum fluidis vermium circumcuntibus particulis potius percussæ, quām lustratæ dissiliant ab invicem. Hinc plus justo urgentia liquida, quæ tangunt, plus æquo distrahunt, eaque ità dissolvunt à mutuo fædere, ut resistentiæ vasculorum, & laxi eorum hiatus fluentibus, ac reflucentibus undis exagitati prorsus confringantur; ex quo (ut observavit diligentissimus Rhedi) facile concipimus, cur lumbrici à præsentia mercurii primò moveantur, dein irrequieti sese contorqueant, indè moriantur. Quotiescumque mercurius sui aliqua saltem tenuiori portione fluit, atque humoribus vermium intermis- scetur, tunc fluunt, & refluunt à mercurii pressione, & validius urgente liquida plus æquo provocata: Fluunt inquitam, & per omne vasorum genus circulum agentibus humoribus, spiritus fieri incipiunt nimis liberi, atque mobiles, adeòque acres, ut illorum minutissimæ particulæ pungentium ad instar, atque acutorum stimulorum penetrant fibras ad partium contactum positas. Ex hoc propterea exoriuntur tot contractiones, & distractio-nes, quot sunt fluxus, & refluxus undarum emergentium à nimis jactato nervorum succo, immò quot sunt contactus particularum impellentis fluidi, & incisiones, & diffusiones agentium fluidorum in singulos villos, à quibus omnibus si indesinenter mordeantur vasculorum parietes, & tali incutientis stimuli vi, ut in fibrarum poris distensis, & inanitatibus dilatatis congerantur mobiles, atque elasticæ gra-

ves mercurii moleculæ sensim diffundantur, vermes nunc convulsionibus variis, nunc tensionibus universi corporis corripiuntur. Idcircò cum nulla sit fluidorum molecula, quæ non concitetur, concutiatur, jactetur, ac veluti urgentis mercurii pondere prematur, proindeque cogatur summa celeritate moveri, penetrare, & magna concitatione irruere in omnem, et si minimam, solidorum particulam, ita ut nulla sit fibra, quæ vim non patiatur, ideoque inæqualiter contrahatur, laxetur, commutetque contractum, atque connisum, motus violenti distractionis villorum summopere augentur, adeòque liquidis mercurio interspersis memoratæ partes, quasi maceratae laxantur, immò maximis stimulorum cuneis concusæ, simulque partibus diversæ, & urgentis figuræ nisu perterebrantur, ut propriam resistentiam amittant, ex quo laceratis villis, & omnigenis filamentis confossis tota infectorum fabrica invertitur, & prorsus dissolvitur.

Partus difficultas, quæ naturæ leges non servat, mercurio nonnumquam suffragatur. Ut partus debito procedat termino (ultrà infinita alia) requiritur, uteri fibræ mutuò flexæ, arcteque irretitæ, & per earumdem protensiones mirè implicitæ, & membranarum villi modicè extendantur, ut in conatum expulsivum nitentes possint moderatè contrahi, & versus inferiora fætunt validius impellere. Si verò liquidorum materies adaucta, & magis pressa ob infartum contractilium villorum velocitatem suam amittat, uteri villi evadent machinæ rigidæ ad instar, non valentis se flectere, qui cum non possint se contrahere, minus æquo agent, & languidiūs urgebunt, quò fiet ut in dies magis non solùm multiplicata fluidorum aggerie imminuat fibrarum energia: sed veluti prælo constrictis humoribus uterum quaquaversum gravitantibus, & in ejusdem vasculis hærentibus, pori, locula fibrarum obstruantur magis, ac propterea uteri vasa cuncta majori conatu invicem comprimantur, quam eorumdem ferat resistentia: adeò interjecti humoris quiete præpeditur conatus impulsivus, compressivus, ut fibræ non impellant tanta vi, quantum

exigit energia fætus resistentis. Harum ex dictis hactenus causis, cum vasa uteri lentis humoribus imbibita, proindeque dura, ac tensa impedianc spiritus, ne villosis filamentis impartiantur necessarii conatus: Fibræ sua duritie instar funis à lentore liquidorum, & glutine tensæ, cum suprà vires proprias inveniant momentum resistentiæ, vim compressivam expulsioni fætus necessariam nequibunt moliri; ideoque cum mercurius tot partibus, tot machinis urgentibus refertus, totque munitus retusis cuneis, quot sunt minimæ ejusdem elementares moleculæ, hanc uteri fabricam urgeat, percutiat, & satis dissolvat inutilia, abradat, depellat humores infarcientes, distrahentes fibras, ac proinde vasculorum infartum, energiam, ac actionem villorum destruentem resolvat; singulæ fibræ, & membranæ tegentes fætum in naturalem contactum, & ad partium cohæsionem accedunt, undè opportunum conatum cum elastica vi acquirentes validiori conniſu fætum urgent, & validius impellunt.

Externè sanat scabiem in glandulis cutaneis constanter residentem, quarum contextus retiformis construitur ex innumeris filamentis vasculorum cujuscumque generis mira arte invicem implicatis, per quorum vacuas ambages paralelli emergunt ductus excretorii, qui à Stenone observati ex glandulis subjacentibus oriuntur. Hinc papillæ quædam pyramidales à nervis prodeunt à celeberrimo Malpighio inventore detectæ, quæ à partibus lymphaticis ex ductibus illis exsudantibus perpetim irrigantur. Cum enim serosus iste latex à sanguine elicitus salibus acido-salsis turgeat, ejusdem particulæ viscidiores non tantum utrinque acuatis, sed etiam tenuioribus salium mucronibus immixtæ, glandularum lacunas, & cutis porulos, per quos fluere debent, & insensibiliter erumpere, leviter oppalent. Fibræ autem nerveæ in glandulis cutis dispersæ à salinis particulis subtiliori aëre exagitatis commotæ, ac vellicatae, molesti pruritus sensationes inducunt, à quibus nervorum, & villorum irritationibus, crassiores lymphæ partes, licet agitatæ, cum difficulter sejungantur ab invicem, parvas

parvas in cuticula pustulas excitant, quæ à sero indesinenter ad glandulas confluente in acumen elevatae, indè à multis salium aciebus, quorum motui non valde resistunt, perterebratae, acido-salsos succos confertim effundunt.

In curatione hujus pruriginosi affectus, & hujus cutaneæ sordis, eò innititur ut acida acrimonia temperetur, & glutinosa lympha incidatur, in quem finem mercurius extollitur, sine quo difficillimè absolvitur curatio. Hic enim nullas patiens inducias, nullaque resistentia coercitus, ad quamcumque corporis glandulosi partem sibi viam parat, & gravitatis viribus impedimenta dejicit, nunc jaetat singula, quæ lustrat, & percussionses singulis partibus incutit, nunc citius penetrat filamenta, cunctosque villos, in quos iruit, arctamque seri cohæsionem, & salium mixtionem intervertit, quin immò in solidorum machinulas adeò momentum tremuli morus imprimit, ut ex illarum perenni oscillationum vi, rursus atterantur, atque agitantur tam cutis glandularum inertes succi, quam illi qui per arterias, & venas fluunt, qui quidem ita jactantur, invicem confunduntur, atque alliduntur, ut post certum tempus reddantur tenuissimi: ideoque comminutæ seri, indè demum attritæ salium particulæ, quorum minima segmenta dividuntur, jam divisæ abeunt in auras.

Verùm si scabie affectis in glandularum papillis, & cavitatibus vermiculus insideat, modò huc, modò illic fortuitò titillans, ut apprimè docet exactissimo microscopio armatus oculatissimus Redi; tu, qui hæc meditaris revoca in mentem, quæ superiùs attulimus de vermis.

Observat Daniel Bartholi Societ. Jesu de glacie, in hydrargyrum demersa, aquæ in glaciem concretæ ramenta protinus aquæ fluorem suscipere. Quoniam liquidorum fluiditas in corpusculis divisilibus maximè consistens, quæ partibus suarum superficerum, dum se invicem tangunt, separatim hinc indè agitata facile inter contiguas eorum partes, & numerosa interstitia juxta suas in-

vicem superficies volvuntur, usque adeò fluoris motum conservat, donec irrequieto motu agitata in resistens corpus incurrens debitum impetus momentum deperdat, ità Renat. de Cart. Boyles, & Alphonsus Borrellus cum quibus Gallilæus nel tattato de Gallegianti. Fit igitur, ut aquæ moleculæ in quiete constitutæ, spiritu æthereo mercurii, & subtilissimo, laxato glaciei vinculo intùs commotæ, & hydrargyri gravitatis impetu in corpuscula satis exilia dividæ ad eam levitatem, & volubilitatem redigantur, ut liberè sese quaquaversum ferentes in fluidum corpus reducantur.

Non longè diversa ratione Isaac Newtonus sancivit, illud esse fluidum, cuius particulæ quacumque vi commotæ, parvoque molimine impulsæ moventur, ac facile inter se concutiuntur, licet fluidum immobile nulloque intus turbinari motu oculis subeat. Fluida, quorum partes debilioribus viribus eas dissociare conantibus non resistunt, inter se collisa in particulas infinitè parvas resolvi queunt. Ex tenuissimo ergo partium contextu fluidorum oritur illa minima resistentia, quam moleculæ in fluidis leviter commotæ diffringunt, & superant. At licet ad fluidorum constitutionem parvæ, ac exiles requirantur particulæ, non videtur absolutè verum, corpus illud esse fluidum, quod ex minimis moleculis coalescit; quippè componentium corpusculorum parvitas eâ poterit cohæsione firmari, ut eorum ramositate, curvitate, asperitate, particulæ licet sub parvo volumine implicitæ, adeò sibi mutuò irretiantur, ut sese extricare difficillimè queant; undè à levissimo pulsu corporis impingentis non propulsæ solidum corpus vel tenacius fluidum constituent.

Delibata mercurii proprietate, & minus tutis usibus perpensis, operæ prætium nunc est investigare, quibus elementaribus principiis, salinis ne, aut sulphureis, in quibus impressa est, lues exterminetur. Acida salia auræ celticæ, Chymici intrà poros Mercurii (cum sit Alkali volatile) implicari contendunt nonnulli, quæ à colore, & fluidorum motu ad superiora propulsæ sublimantur, ubi viarum

viarum irritationē apertis falivæ ductibus pituitosa materiæ jugiter erumpit. Sed gratis omnino in Mecurio alkali dicitur inexistere; neque enim huic corpori, cui quodam quasi experientiæ testimonio inesse ceditur, aliter probatur existere, quam ex hypothesi, quod alkalicorum effectus ab assūptis Chymicorum principiis oriuntur. Nec assertiones tam latè patentes, tantique momenti admittendæ sunt, nisi validis firmatae rationibus. Immò dum aliam in medium proferre hypothesim aggredior, meum esse censeo rationes adducere, quæ dubitandi causam vindicant, & prolatis assensum prohibent, ne gratis confutationem exornem, multoque minùs confidenter nimis sententias convellere insimuler. Hoc verò absque **convictio**, dum id mihi arrogo, illam mihi indulgendam iri veniam, quam quisque sibi philosophanti deberi pensat, confido. Cum alkalimum subjectum ex frangilibus, rigidisque spiculis coalescens, annuentibus ipsis, coērceatur ab angulosis acidorum ramentis, particulas mercuriales involventibus, earumque motus retundentibus, acida salia venereæ luis suprà mercurii corpus vires exercendo glutinosi liquidi cohæsionem augerent; nam particulae alkali sinuosis angulis intexuntur, adeoque particula acidi impingens in moleculam alkali locum invenit, à quo in eorumdem sinum recepta alkalicorum vires diffingit. Si verò in gyrum rotata alkalica mercurialium corpuscula acidorum aculeis cohærescerent, eorumdem angulorum acumina juxtà variam alkalicorum porositatem; & mollem, additorumque corpusculorum allisionem in se invicem coeuntium, in tam obtusa latera sese mutuo molarent, angulosque adeò retusos, ut post variam utrinque luctam, mutuosque amplexus iterum eo unirentur modo, ut eorum cunei certa rursus coalescentia sibi invicem conflati, parvula possint exhibere prismata, quæ particulis pungentibus, & salinis sensim expedita, liquidum, cui innatant, omnino insipidum, & ab acore erodente discrepantem suppeditarent. Ita Boyles de mechanica saporum observat; quod si liquori fixi nitri per deliquium fa-

sto, cautè spiritus nitri guttatum affundatur, donec omnino alkali saturetur, paucis momentis post levem evaporationem chrystalli obtinentur, non acris, nec alkalizati saporis. Ex mutua horum corporum reactione, & passione, alkalizatae, acidæque particulae in fluida coëunt, & post validam corpusculorum allisionem sibi invicem conjunctæ, prisma ejus figuræ exhibent, cujus extrema nimis utpotè obtusa, inurere non possunt; ex quo corpus medium resultat. Ità alkalicorum Mercurii cum acidis unio, solidorum erosioni non occurrens, at fluidorum consistentiam, crassitatemque promovens, remoto impetu, & in agendo seclusa gravitate, stimulo carebit tenaciores acidorum concretiones solvente.

Sed inquiunt, alkalia sunt corpora poros habentia proportionatos ingressui angulosarum particularum in liquido natantium; igitur si vis illa, qua liquidi partes mutuo seurgent, & æquali undequaque nisu manent libratae, inveniat locum minùs resistentem in alkali poris, ut potè aëre subtilissimo repletis, in eosdem fluidum impellet, adeoque acida cuspis in spatia inania alkalicorum impingens, in his recondetur, & ab eorum præsentia liberatum fluidum pristinam crasim recuperabit. Verùm quidem est ab irretitis salibus inter alkalia corpuscula fluidum edulcorari; at acidi salis particulae cum alkalibus combinatae, & veluti carcere detentæ in poris alkalium majorem ex unione nactæ ponderosam molem, cum fluidis circumvehi non possent, quæque pondere majori à liquidorum commercio seclusæ diarrhæam potius quam pthyalismum promoverent. Cum igitur ratio acidi & alkali consistat in proportione pororum vacuorum ad spicula acidorum, sanè nulla apparet necessitas, quod Mercurius sit certi schematis, & magnitudinis, ut configuratas acidorum particulas absorbeat; immò ita in minima dividitur, ut à nonnullorum agulorum terebra, & cuneis possit permeari: adeoque non mirandum si particulas in majorem molem fastigias, & turbinatas, nec suis poris commensuratas, ex ipsius parvitate molis excludat. Attamen non imus inficias,

cias, quod plus, quam minimas non præferat interspersas porositates, & particularum tales ad invicem contactus, qui à gliscentibus inter partes, & partes fluidi erodentis globulis non possint repleri, prout variæ ad invicem aut cum aliis salinarum particularum superficieculæ cohærent. Partium enim mercurialium nexus tam arctus existit, vel ea est compages, ut aut si non desint pori subtilissimis angulis permeabiles, ea tamen est parvitas mercurii, ut à glutinosis particulis nullo modo penetrari possit; cum ex una parte non existat in his gravitatis momentum, quod valeat partes viscidas ab invicem dissociare, & in minimos cuneos dividere, ut poros mercurii penetrare possint. Ab hoc solo virium defectu excluduntur ab ejus poris salinæ viscido involutæ particulæ, licet pressæ à totius fluidi superincumbentis altitudine. Ex altera parte particulæ salis ex tenuitate molis, vel crassitie possunt adeò parvi motus fieri, ut vi careant superandi mercurii resistentias, quas opponit motui illa qualiscumque sit adhæsio, quam habent in intrinseco mercurii globuli ad invicem, tantò majorem in resistendo effectum producturi, quantò minorer erunt corporis mercurialis superficies; ex quo mercurius non potest penetrari à viscidis particulis, quia poris caret glutinosum admittentibus. Minimi pori Mercurii penetrationi per aqueo-viscidas moleculas facienda resistentia, instantibus salibus, & urgentibus spiculis aditum non permittunt, quæ tunc eò tantam non habent, quantum exigerent ad eos pervadendos tenuitatem, & impenetratum. Si verum est particulas mercurii unius figuræ esse, sicut persuadere videntur summa ejus simplicitas, & incapacitas corruptionis, si verum est eas esse sphæricas, vel aliqua ex figuris ad sphæricam accendentibus circumscribi, quemadmodum ostendere videntur plures ejus proprietates, non posset esse in mercurio inanum spatiorum diversitas, nec ea ad quamlibet figuram congruentia, quam expostulant plures chymici. At pororum in Mercurio quæcumque sit existentia, & quæcumque eorum amplitudo, sine gravitatis momento partes talium concretorum, quæ

in sanguine existunt, ab invicem separari, & scindi poterunt? hæc non nisi conjecturæ sunt rem adumbrantes magis, quam probabiliori ratione explicantes; immo Philosophorum ingenia earum facilitate allecta ab ulteriori licet utiliori distrahuntur examine.

Quocircà ad tollendam aciditatem à corpore aliquo fluido præsertim opus est, ut à particulis acidum substantiis fundamenta aciditatis detrahantur, vel illæ à corpore ablegentur. Cum igitur fundamenta aciditatis in acutie angulorum consistant, requiritur, ut acuti anguli emolliantur, ut in rectos vel obtusos facescant, aut omnino tollantur in curvam superficiem mutati. Angulorum autem ex acutis in obtusos transitus fit per rupturam acutarum cuspidum à validiorum agentium nisu diffringendarum; argumento admodum probabili, multam in mercurio requiri gravitatem, & impetum, qui salium evectorum spicula coherentibus moleculis implicata possit infringere. Nec reponant posse retundi acutos acidorum salium angulos unione aliorum corpusculorum. Duo enim anguli acuti verticem communem habentes, & secundum latera sibi invicem coherentes rectum, vel obtusum angulum ferre semper constituunt. Sic involvuntur acutæ cuspides lentis, mucosis, & pinguibus substantiis, ac veluti intrà vaginam anguli acumen conditur. Hoc artificio salium spicula in sapone mitigantur; sed si hoc fiat, est tantum acidum edulcorare, non in minima resolvere, non destruere, non partes conglutinatas dissindere: adeoque si in particulas salinas coherentibus nuptas non impingat aliiquid, quod non sit ei specificè gravius, magis mobile, & in minima divisibile, nulla spes erit, ut possit una ab altera separari.

Nec magis arridet eorum ratio, qui explicantes actionem mercurii per vasa ad fluida difficulter mobilia impellenda trajecti, & salivam vehementer moventis, venas præcipue lymphæ ferendæ dicatas torpore quodam infestari ex quadam vi hydrargyri stupefactiva non dubitarunt. At si propter teneritudinem lymphæ ductuum ab hydrargyri

gyri inunctione stupore facile affectorum, ob intensum hydrargyri frigus, amissio tono, & fibrarum vigore, debita lymphæ separatio, reditusque in venas impeditus intra sanguinea vasa cohibetur, qua arteriosa canalia supra modum distensa ad salivæ emissaria depleri cogantur; quæritur quî fiat ab exinanitis lymphaticis tophos discindi, ossiumque cariem emendari. In lymphæ morboso liquido totus fortasse latet fomes? sed si quoque lateret, qua ratione hydrargyrus in mercurium dulcem confectus per minima sanguini unitus, & impetuoso motu per vasa raptus vim suam indolemque denuò exercendo lymphæ ductibus torporem conciliabit?

Sanè ut rem acu attingam, ne me assortimtis pluribus, minusque notis conjecturis, & præpostero hypotheseon conatu philosophari videar, quisquis rem attentius contemplatus fuerit, corpuscula mercurium constituentia irrequieto motu exagitata à fluidorum pressione, & circuitu difflari posse per orbem, facile per sanguinem in minima dispergi adverteret, quæ mercuriales in statu fluoris particulae non facile evenerentur per vasa, si earumdem componentium unio intricata, adhæsioque tenacior esset: hæc enim mutua suimet invicem implicatio, alterius ab altera separationem prohiberet, ipsaque molecularum conjunctio easdem ponderosiores efficeret, quam ut simul susque deque attolli, & vertiginoso liquidorum motu rapi possent. Liquidum mercuriale cum sit in minutissimas divisum particulas, facile cum altero fluido, vel solido, quoad omnes partes in illius poros se insinuando, in alterius penetrando, misceri poterit, & postquam est mixtum, mercurii moleculae cum sint à continuo gravitationis motu concussæ, alterius liquidi solidioris obvia corpuscula non difficulter discindere valent. Hinc ab invicem commixta, & minima minimis conjuncta, necesse est, ut corpora agentia possint agere in particulas patientis, non quiescant, sed sint intestino motu agitata, aut in rapidissimo cursu constituta instar cuneolorum, quotiescumque in alterius corporis particulas illis congruentes, vel ad recipien-

dum gluten, caveas habentes, impingunt, hasque easdem divellunt impedimentis semotis, & fortissimis quibusque obstaculis dirutis; idcirco tamen in sua maxima divisibilitate eorumdem gravitas nihil evanescit, interrumpiturque, sed quodvis corpusculum infinitè divisum, licet mole minus cæterarum fluidorum particularum, gravitate majus, à solidorum nisu cum sanguinis circuitu promovetur, quod ubique celeritate sanguinis majori instrutum, à dato cordis impulsu plus momenti suscipiens, majorem impetum in resistentiarum occursus exercere valet: Unde quantumcumque parvus sit impetus sanguinis fluentis, cum semper resistentia minor sit momento impellantis mercurialis liquidi undecumque nitentis, agetur intrà omnes villorum plexus nil resistens influxui tentantis fluidi, cuius vis tumoribus, & fluidorum lentoribus occurringens innatæ gravitatis impetu, & in stagnantia liquida ad membranarum contactum posita sese agere nitens, quasi cuneus cohærentes particulas dimovebit, quæ à subtilissimis mercurii ad nullam formam determinatis corpusculis, hinc indè intus commotæ, & jugi eorumdem circuitu in motum concitæ, inciduntur, attenuanturque, & qua data potentiori porta ruunt, quæ sæpè per vehiculum salivæ evectæ in eorumdem ductus ejiciuntur. Hinc resoluto, & subacto fluidorum lentore, spiculis salium retusis, vasa, porique obstipati à tartarea feculentia stagnantibus fordibus liberantur, atque aperiuntur, adeoque fluores omnes totius corporis in ordinem, ac motum rediguntur, & sic penè omnibus morbis, cum à visciditate humorum, & obstructione ductuum ortum ducunt, mercurialia medentur.

Tophi, & gummata non nisi remediis maximo impletu instructis evelli possunt, quorum validi momenti particulæ sanguini intrusæ, diù in ossium excrescentias impellentes vires suas imprimendo per itus reditusque corporis impingentis, penetrantisque gravitationem, obvia quæque discindere, ac renitentes tumores resolvere valent; quæ combinatarum partium resolutio neutquam in no-

in nodis contingere, si appellantia corpuscula suprà data
obstacula, & resistentiarum aggregata excurrentia, tere-
bræ, & cunei vires in occurrentes lentores non exercetent;
quo fit ut Mercurii gravitas cæterorum mineralium major,
non solùm ubique celeritati sanguinis æqualis, sed validius
momentum suscipiens, impetumque majorem exer-
rens ad loca maximæ resistentiæ, ubi fluidorum motus
quasi evanescit, partium cohæsiones tollat, & immotas
tophorum particulas dimoveat, quæ à repetito promoven-
tis impulsu commotæ sensim abraduntur, & intimius eli-
quatæ novæ sanguinis circulationi committuntur. Igitur
quoties salina spicula, intrà fibrarum contextus incuneata,
vascula, & fibrarum tiliæ depascuntur, hæc corrosiva sa-
lia hebetantur dumtaxat à maxima penetrandi Mercurii
energia, quæ cum in omnes ægri partes se se insinuet, aci-
do-salinas moleculas occurrendo cicurat; quo interea vis
partium elastica vigorem acquirens ad evictorum salium
enormitatem unâ cum Mercurii expulsione insurgit, ac ut-
plurimum per potentissimum ptyalisum ad oris emunctoria
celticum venenum dēmandat, quæ expurgatione com-
pleta lacesita quiescit natura, & vires labefactatas resumit.

A R T I C U L U S V.

De morbis per salivationum mercuriale curabilibus.

Si quis unquam est morbus, qui facili marte à mercuriali
salivatione discutiatur, est venereum contagium, quod
crudeliter in corpus humanum debacchari cœpit anno 1494.
nimirum dum Carolus octavus Gallorum Rex cum Alphon-
so Rege bellum gerebat, singenti militum phalange, strictissi-
ma Neapolim obsidione tenuit; Neapolitani magis fame,
quam bello enormiter vexati, imbellem ac mollem fæmi-
narum turbam ab urbe ejecere. Galli milites, quos non
pudebat cum turpissimis fæminis coire, Hispanorum ver-
sutias

sutias ignorantibus, earum pulcritudine, ac blanditiis allecti nativum libidinis œstrum in fæminas fornicando sociavere: Indè totus amoribus nequam vitiatus exercitus, insuetaque delusus dolo ultrà horribilibus se cepit pandere morbis: Hinc eruditæ Fracastorius.

*Qui casus rerum varii, quæ semina morbum
Insuetum, nec longa ulli per sæcula visum
Attulerint: nostra, qui tempestate per omnem
Europam, partiumque Asiae, Libiæque per Urbes
Sæviit; Latium verò per tristia bella
Gallorum irrupit, nomenque à Gente recepit.*

At incertum est, cum incepit inter homines grassari, si prius obsidentes Galli hanc luem experientur, antequam obfessi Neapolitani contraxerint; Neapolitani Gallos, Galli Neapolitanos inculpant, & Hispani utrosque Neapolitanos & Gallos vicissim exprobant, & unaquæque eorum natio reliquis hoc facinus vitio vertit. Sed fortasse melius se pandit ipse morbus.

*India me genuit, peperit me Gallia Mater,
Me alit Parthenopes, dic mihi quæ Patria?*

Hæc venerea lues licet in veterum auctorum monumentis, & observationibus non se pandat; tamen cum ab Avicenna, & Galeno V. de comp. medicam. VI. de simpli-
nu. XI. de simpli. facil. VI. de locis affectis cap. VI. descri-
bantur tumores, ulcera, ac pustularum species, quæ luis venereæ affectionibus adæquate respondent, credidere nonnulli, hanc venereum luem, dum Galli Neapolim ob-
siderant, antiquis morbis fermentale tantum addidisse vi-
rus; hinc in Celsc, sycosin, mariscas hominem olim fæ-
dasse legimus. *Fit verò ait utrumque in his partibus, quæ pilis conteguntur; & apud Martialem lib. VII. Epigrammatum.*

Ficosa est uxor: ficosus, & ipse maritus:

Filia ficosa est: & gener: atqne socer:

Nec dispensator: nec villicus ulcere turpi:

Nec rigidus fossor: sed nec arator eget:

Cum sint ficosi pariter juvenesque, senesque:

Res mira est: ficos non habet unus æger.

& Juvenalis satyra lib. 2.

*Quis enim non vicus abundat
Tristibus obscenis? castigas turpia, cum sis
Inter socraticas notissima fossa cinadas.
Hispidæ membra quidem, & duræ per brachia setæ
Promittunt ferocem animum, sed podice leves,
Cæduntur tumidae medico ridente mariscæ.*

adèoque antiqui torquebantur quidem ulceribus, pustulis, lepra, scabie, tumoribus: at veterum monumenta homines in scortis avidè luxuriantes hac lue fædatos tophorumque cruciatus perpassos fuisse non pandunt.

Ex prægresso igitur concubitu cum muliere venereo femineo conspurcata, malignum virus, & halitus contagiosi à pollutis, & turpibus obscenis prodeuntes, in uretræ virilis poros se insinuant, indè penetrata uretræ epidermide ad prostatarum glandulas diffunduntur, ibique excitata inflammatione, succi intus contenti acrimonia, acida, salino-corrosiva commoti, acidis, & cuspidatis eorum particulis vehementius fibras pungunt, distendunt, & lancinant, quæ indè à nutrimento in saniem converso magis exulcerantur: Undè in laceratis villis ulcus succrescit, à cuius ulceris impuritate saniosus fluxus, & acre liquamen jugiter effluit, quod fætida crassitie in subtilissima Epidermidis membrana feriendo salinis spiculis, ejusdem fibrillas divellit, atque exulcerat. Non solùm à glandulis prostatarum exulceratis, aut uretræ exesis poris extillat putida illa sanies, sed cadaverum sectione retulit, reperta esse ulcera in orificio vesicæ, & vicinis partibus cum flueret Gonorrhæa, Ballonius Epid. lib. 2. pag. 16.

Hoc acidum acre dilatatis poris, & apertis vasculis à sanguine absorbetur, & mediante circulatione per minimas arteriolas ad glandulas inguinis devehitur, vel in lymphatica inguinis glandulosa irrepit, in quibus acriori parte stimulante, & viscidiori moram trahente, per vim stimuli augetur liquidorum cursus ad partem, novoque inde sinenter confluente humore, infarcitur corpus glandulosæ tunicæ, ex quo in dies excrescente dolore morbosa liquida ad in-

guina augente magis, malignus extuberat tumor, qui artis auxilio facile ad suppurationem disponitur, & ferro discinditur, vel caustico aperitur, Ab hoc venereo veneno infectæ sanguinis particulæ glandularum cavitatem accolentes, à naturali statu sensim desciscunt: hinc in fluorem evectæ impetuoso motu rapiuntur, quæ tamen dum se quaquaversum explicare nituntur, crassiores particulas glutine implicatas offendunt, à quibus mutuis nisibus invicem obvolvuntur: interim acrum salium, & subtiliorum nisus à terra moleculis, & crassioris sulphuris plurimum remittitur, donec fortes, ac virulentæ sanies, vel suppressæ, vel non extinctæ, serò per partes illas circulanti sanguini communimentur, & clam in sanguinem serpent; ejusque salinæ moleculæ à fermento venereo exaltatae, & in fluorem evectæ, cum viscosis combinantur, quæ in periostia, & periicana impingentes, in eorumdem porulis impliciter detinentur: Harum salina spicula intrà fibrarum fasciculos incuneata, cum nec à solidorum nisu, nec à calore possint insensibiliter resolvi, sensiles membranas lacefunt, continentia vascula distrahunt, eorumdemque villos ità convellunt, ut dolores in cranio, & osseum membranis fævissimi passim sentiantur, qui ad vesperam excruciant, & magis ingravescunt, dum à densiori aëre repressæ, & lecti calore agitatæ, ac motæ particulæ viscidæ acriores, nervorum machinulas, & membranas perperam lacinant. Hæc efferæ salium acrum, acido-que-salinæ moleculæ in latice sanguinis hospitantes, in laxam, & spongiosam tonsillarum substantiam delatæ, ibique exaltatae, earumdem fibrarum plexus exedunt: adeoque hujus indolis inquinati succi, glandulas oris, palati, labiorum, & gingivarum, ultrò citroque villos commeantes, hic solidorum machinulas jactant, illic ità concutiunt, ut permutatis liquidorum viribus, figura, atque mixtione, unà villi, & fibræ membranarum, vasorumque convellantur, & distrahan-
tur, adeoque à proprio termino recedentes, inficiuntur ab illis angulosis salium particulis, quæ interjiciuntur ad instar cuneolorum inter machinulas jam fluidas, & pene solutas;

solutas; quæ licet in variis implicationibus, & reticulari contextu non permittant discludi ex toto, nec humores ex toto præterfluere patiantur, tamen à fluxu, & refluxu humorum erodentium in dies magis laxantur, & inquinantur, à quibus proinde depravatae indolis succis, quasi ab insinuatione totidem cuneorum tenuissimæ substantiæ sese quaquaversum volventium, atque fibrarum contexturam exsolventium, lacerantur vaſculorum villi, adeò ut ad instar stillicidii ubertim fluat, & erumpat saniosus liquor, qui sua partium scabritie, ac inæqualitate membranosa, & glandulosa locula magis exurere, & dilaniare poterit, ut in earumdem epidermide, vel in membranis gliscentia liquida, motus inertia distensis vasculis, eorum putrefactione, & salium aculeis laceratis, terebratisque villis, depascantur glandularum fibras, easdemque partes ulceribus fædent. Si inter ossa, & periostii porulos hamosæ particulæ, & rigidiores compactæ arctius cohærescant, membranarum fibrillæ enormiter distentæ sensim intumescunt, & instar spongiarum inflantur. Unde viscidus liquor falsis rigidis, acidoque acribus maritatus in has partes firmius successivè impingens simul in coalitionem compingitur, & præ crassitie per poros excerni, nec minuta venarum oscula cum sanguine reliquo subingredi potens, hæreat oportet in illis angustiis, ibique interceptis acidis, acribusque particulis invicem implicantibus, in tophos atque nodos coalescit, qui indè acidis, atque corrosivis scatentes liquaminibus in ossium cariem degenerant; Dum corrosiva spicula in tendinosas ossium fibrillas se insinuant, ossis ad intima penetrando, ejusdem canalicularum seriem & ordinem diffringunt, à quibus sensim alterata ossium structura & succis eorumdem alilibus coinquinatis, in ossibus caries suboritur.

Confirmata lue pustulæ, & earum pustularum cognatae cutis affectiones phlyctenes, impetigines erumpunt, modò orbiculares, vel acuminatæ, modò pruriginosæ, squamosæ, nil icoris effundentes, faciem, vel manus, crura, vel pedes, & nonnunquam universum corporis ha-

bitum obsident. Viscidæ enim, ac terreo-salinæ, acres, austeræ particulæ ad nostri corporis partes appellentes, glandulos nimirum, à quibus deberent revehiri per lymphatica in sanguinem, fibras tubulorum cutis, per quos fluere debent, fermento gallico afficiunt, & glandulosarum partium meandris constanter infixæ aculeis suis magis vel minus rigidis, acutisve fibrillas cuticulæ, ejusque tubulos descendendo, & erodendo pruriginosa labe, & ulcerosa commaculant; ut inde obortæ pustulæ in glandulosis cutis tubulis, adeoque solidorum erosiones pro majori vel minori acredinum gradu, pro multitudine diversarum glandularum, & vasculorum exesorum sanie, dolore, & crustosis squammis inter se solum differant. Hujus fæcunda messis semel tacta feminio venereo efflorescens, suisque successivis germinationum periodis renascens, nunc scissuris volas manum afflit, nunc rimis mammarum papillas occupat, quæ modò saniosis scatens humoribus spongiosam carnis substantiam depascendo serpit, modò in fæda ulcera excavatur, quæ cutem profundiè penetrando, labiisque calosis, & prætumidis, sanguinem sanie confusum si contrectentur, effundunt.

Quando particulæ acido-salinæ angulatis corpusculis à lymphæ copia dilutæ, & assiduis solidorum oscillis comminutæ, cutaneas glandulas leviter obstruunt, ad corporis superficiem spumescentes cuticulam levi pruritu exasperant, erumpentibus interea bullis ferè inconspicuis. Salia pauco sero diluta, cum à lympha debito viscosiori, fugatis in aëra aquosis, eorum vis infrigatur, & illorum acumina obtundantur, squamosam, seu crustosam cutis elevationem inferunt. Sub crustis squamosis effusa lympha, cutis, & cuticulæ fibras, in quas impingent, punctione particularum acutarum, & effusi seri acredine gravius pungit, ac lancinat, ustionisque sensum, ac pruriginis inducit. Cum autem ab aliis jugiter de novo confluentibus salinis particulis compellatur humor, cuticulæ porulis salina ramenta infiget, à quorum angulis minutim fecatæ cutis fibrillæ in furfura abeunt, & veluti squammæ

in superficie exteriori exsiccatæ à cute dissiliunt : Hinc ægris pruriginoso sensu affecti indefinenter cutem scalpentes sanguinosum icorem effundunt, qui erodentibus particulis effætus per vicinam, sanamque partem proserpit, donec ulcusculis cum foraminibus profundis universum corpus obfidentibus in putrescentem morbum terminentur.

Verum quia venerea lues per se nullum morbi genus constituere videtur, quin cuicunque morborum speciei adeò insolubili nexu confunditur, atque permiscetur, ut preflius eorum naturam æmulari videatur, cum aliorum mille larvetur formis morborum, ne miremini si olim Celtaica labe inquinati in morbos inciditis, quorum radix non intellecta medentium opem eludit, atque deplorabili ærumna vos turpiter extorquet.

Mercurialis salivatio non coercetur in solo Celto, sed mercurii virtus tam efficax in consummatis, & obstinatis morbis sanandis comperta est, ut medicos illo, tamquam modo curandi perverso, uti recusantes, in malorum omnium pertinacia ex acri-glutinoso suborta vulgaribus reluctante remediis haetenus non adhibuisse, cum Boyle valde admirer; In his enim ejusdem virtutes aquæ, ac in morbis à contagio venereo susceptis, efficaces esse non me effugit, quin efficaciores quam aliorum remediorum esse arbitror, ut plurimorum experientiis pulcrè arridet.

Dum autem de operationibus Mercurii ad alienos morbos inusitatos relatis loqui decerno, historiam minimè vulgarem à Boyle recensitam non possum non referre. Vir quidam, ait, adhuc superstes, præfectura Legionis Helveticae in Gallia celeberrimus, aliquot annis castra in Belgio secutus, morbum quemdam oculorum passus est, medicorum juxta, ac Chyrurgorum opem omnium recusantem, qui paucorum mensium spatio sensim elabente visione, utriusque oculi jacturam fecit, donec accersitus empiricus, cui se curæ tormentis subjecit, ipsi ab utroque narum ad grani pondus atrahendum quemdam pulverem mercuriale exhibuerit, à quo statim vomitu, sudore, urina, saliva, & lachrymis per duodecim hora-

rum spatio exagitatus adeò commotus fuit, ut caput ejus plurimum intumuerit: tertio tamen, vel quarto labente die, gradatim visum recuperare incipiens, post quadraginta dies, acutiore visu quam omni vitæ anteactæ decurso gavisus est.

In colica diurna, ac pertinaci, cum remedia quævis nil juvant, mercurialia sialagoga exhibeantur, quæ cum maximo ægrotantis levamine observavit Willis materiam morbificam in plexibus nerveis uberioribus aggestam, salivationem movendo huc illuc variè dispellere, & tandem prorsus dissipare. Licet sanguinis particulae per jugem ejus motum, & agitationem atterantur, subtilizentur, ac lævagentur, sensimque ita disponantur, ut per poros cerebri transcribrari, & per nervorum filamenta urgeri queant: Existimo interim ab impetu sanguinis fortius à tergo urgente posse abradi particulas diversæ molis, quæ per nervorum canaliculos deciduae in mesenterii, aliisque abdominis plexibus inter se variis modis uniantur; nimirùm quod suis ramositatibus invicem intricantur, vel quod cuspis unius intret poros alterius, denique quod earum superficies læves, & æquales ita arcte conjungantur, ut nihil sit intermedium, adeòque hæ non admodum subtile, nec facile dissipabiles, cum per lymphæ ductus non difflentur, sensim stagnent oportet, & coacerventur in partibus illis per villorum poros expirare nesciæ, quæ in nervorum tubulis penitus compactæ, ac fibrarum oscillis compressæ, cum semper in motum expansivum nitantur, licet minori impetu, subsistendo intrà eorumdem canaliculos, eosdenique proinde extrorsum urgendo, fibras, nervorumque propagines inflant, ac distendunt, quarum distensione divulsis villis intestinorum, & eorumdem laceffita compage violentam suscipiente vibrationem, oritur colica affetio, cuius violentus impetus in distorsione fibrarum residens, laxari non posse videtur, donec congesta materies à nervorum filamentis penitus discussa, aut subacta non fuerit, quæ si ab aliis medicamentis dimoveri non possit, à particulis mercurialibus sese quaquaversum nitentibus in minimas

minimas dividetur moleculas, & huc, illuc variè in motum acta dissolvetur.

Hic exoriri posset suspicio, cum à medicis non sine ratione mercurius credatur generis nervosi inimicus, aliarumque in nervis cerebri perturbationum concitator, & fortassis sciolus quispiam negabit in paralyssi detentis hisce remediis esse utendum. Speciosa hæc quidem dubitatio prima fronte videtur, sed tamen vanam esse reperio, ubi contraria hæsitationi experientia ad accuratiorem sui inquisitionem me invitat. Plures morbo Herculeo, & vertigine diuturna correptos salivatione per mercurium excitata in ind. med. pract. lib. 19. sanatos refert Bonetti, & quosdam paralyticos ab ipsa sanari Willisiano experientæ effato edocemur. Attamen hoc remedii genus nolim, ut furiosa violentia extimescendum, cuiquam commendes, nisi sedulo chymicorum simul artificio elaboratum, ac medicorum consilio exhibitum, donec exactiorem sui præparationem, & usum nanciscatur. Hoc verò securius conferto in epileptico morbo inconsultò quispiam temere ne utatur, ni prius perspecta causa firmo rationis talo hoc opus animosè conflagret.

Cum epilepsia sit totius corporis concussio, qua statim & ipsi nervi convelluntur, causam hanc latere coniicerem, aut in solido nimis laxo, vel rigido, aut sicco, aut in fluido nimia copia peccante, in sero acri-glutinoso, in crassitate sanguinis, aut spirituum, in quocumque viscere lentore referto, aut in sola acrimonia tum sanguinis, tum spirituum tenuiorum, magisque mobilium. Sint enim tubuli nervorum in cerebro constituti nimis laxi; igitur copia sanguinis naturali major cujuscumque liquidi nervei quod intrudere se possit inter omnes fibrillas nervorum fasciculos componentes, nitetur in nervos influere, adeoque, contranitentium villorum vis, cum non sit in æquilibrio constituta cum fluidis, minimæ cuicunque facultati cedet: & cum à quocumque spirituum appulsi nervea fibra distractatur, dilateturque, impleri poterit liquido, cuius particulae nervorum funes sensim madefacientes, veluti totidem

dem cuneuli sese in nervorum dilatatos poros insinuando, illos contrahunt, adeoque laxatis nervis, & copia liquidi naturali majori repletis fibris nervorum tonus, & villorum harmonia tota concutitur.

Sit insuper siccitas in solidis minorem copiam humidi ità continentibus, ut humores quilibet producantur aciores, spiritus tum similiter acriores; mobiliores impetus, & nisus maiores in emissaria nervorum producentur, adeoque irritando, lacinando membranarum fibrillas, maximo cum impetu efferentur, & inordinate moti poros cerebri ità aperiunt, ut quaquaversum per nervos dissiliant: Undè nervorum fasciculi vehementer dilatati, hinc, atque illinc, intus violenter moti spiritus concussi, inopinato spasmodica crispatione corripiuntur, & animal sibi deficiente spiritu in centro gravitatis molem corporis sustentante, derepentè corruet. In hisce igitur causis à solido nimis laxo, & fluido magis mobili, & soluto, quoniam Mercurius est majoris impetus, & ponderis, quam quod possit à languida fibrarum energia, & vi sustineri, suspicione salivatio non caret; qua ratione impetus, & gravitatis cum videatur calcar addere liquido in furorem nimis concito, malè mederis, si malesiana mercurii inunctione materiæ peccantis in sero existentis solutæ copiam violentiùs ad partes superiores, ipsaque adeò cerebri penetralia propelles. Propter hanc inunctionem mercuriale in scabie institutam exortum fuisse comitiale morbum, exemplo patris, & filii Trincavella confirmat.

Contrà verò cum Hipocrate de morb. sacr., & Gal. lib. 2. de sympt. caus. vigeant in sanguine humores lenti, viscidi, acido acres, qualis pituita pungitiva; spiritus igitur magis crassi minorisque impetus gignentur, qui propter crassitatem partium, ex quibus componuntur, cum non se diffundant quaquaversum cum nisu, non poterit universa eorum moles fluere per poros villorum, immò portio crassior intrà eorumdem villorum ganglia subsistet, proindeque eosdem magis extrorsum urgendo, impediet, ne ex toto restituantur nervi, sed in aliquo gradu contractionis persi-

persistant; per successivum autem influxum, & effusio-
nem eorumdem liquidorum intrà nervos, cum reliquum
crassius intrà majorem villorum angustiam semper subsistat,
in majori contractionis gradu persistent nervi, & repetito
pluribus spirituum influxu, cum restituzione magis, ac ma-
gis nervorum imminuta, fiet demùm, cum non possit
ganglia nervorum spiritus superare, & per eorum extre-
mitatem expirare, ut nihil spiritus ulterius influat: quo in
casu retrò impulsus majorem ad latera nisum ad nervo-
rum principium usque exercet: Hinc successivo spirituum
repulsi, & eorumdem jugiter appulsi, ad cerebri nervos,
violentius ipsi concutiuntur, ejusque subtilissima fila lym-
phæ spiritus vehentis mordacitate stimulata crispantur, a-
deoque nullo, certoque ordine impulsis spiritibus, æger
subitò in terram prolabitur, violentis contorsionibus de-
tentus. Modò quotiescumque morbus caducus excitatur
ab illis succis, qui ad majorem partium cohæsionem fluen-
tia liquida reddunt, aut ab infarto alicujus visceris per con-
fensem ortum dicit, mercurii viribus facile cedet, qui vi-
suæ gravitatis per impervios quosque spirituum canales len-
ta materia obseflos sibi viam sternens ad minima resolvit,
& mucosa fluida extrà corpus propellit; undè benè ait Hi-
pocr. de morb. sacr. *Qui salivosi fiunt, ac mucosi, morbo sacro*
ferè non apprehenduntur.

Hac ratione salivatio in paralysi, quæ in sanguine sale,
& sulphure fixioribus magis referto causam habet, cum
stabili nervorum, & firma fibrillarum cerebri structura,
opem non rarò egregiam præstat. Cum ad motum requi-
ratur muscularum contractio, cuius machina ex pluribus
filamentis, carnearum fibrarum fasciculis, & tendinosis
fibris conflata per se inerest, & demortua, nisi adveniat
facultas motiva, quæ est influxus sanguinis per tubulosas
muscularum fibras, easdem inflantis, & liquidi per ner-
vos subitò arescentis intrà sinus villorum, & sese quaqua-
versum effundentis per tensam fibrarum compagem, ut
carneæ fibræ ab impetu particularum rarefcientium, veluti
à totidem vectibus possint urgeri, quæ inquam imperium

afferant, easque à torpore, & sopore excitatas fibras ad motum impellant; igitur si neutrum vel alterutrum liquidorum non influat in sinus, & intrà villos fluere non permittatur, non poterit inflatio fieri tubolorum, quæ requiritur, ut villi concipient impetum, & suam indolem, vimque motivam exercere valeant, ut funis denegatis aquæ globulis non inflatur: adeòque fasciculis nervorum ad emissaria infartis, vel obstructis à sanguine intrà cava fibrarum latibula partium crassitie, & terrestreitate stagnante, licet recurrat spiritus, & sanguis, per ductus non excident in sinus fibrarum, sed frustra ad canarium emissaria nitentur; undè contractio muscularum, & motus tolletur. Itaque dum in paralysi, in qua materia viscida, ac quasi lapidea in nervis, ac minimis vasculis muscularum solidè viget, sudorifica nullius efficaciæ sunt ad excuneandum in nervis, & fibrarum lacunis impactos humores, felicius salivatio cietur, qua apprimè concreta salia inciduntur; dum particulæ mercuriales in fixa liquidorum corpuscula impingunt ab invicem ea dissociando facile dissipant, dein cerebro trajecto ductus nervorum subeundo, coacervata fluida in minima dividunt, & spirituum vias referant: hinc indè portiones subtiliores sanguinis summè tenues, atque elasticæ, partesque tenuioris lymphæ ab alterna meningum constrictione in pervios nervorum tubulos propulsæ, in latera eorumdem validius nitentes, ordinatas ad muscularē motum fibras inflant; adeòque extensis fibris, & machinulis muscularum spiritu irrigatis, non solùm oscillatione propagatur sensibilium impressio ab extremis nervorum filamentis concepta, sed apertis arteriarum osculis, & nervorum fasciculis in pristinam libertatem restitutis, concinnè remittitur sensus, atque motus.

Nunc quoniam Mercuriales particulæ per tenuissima vascula, & spongiosas substantias trajectæ in eorumdem ductibus lentescentes, inertes fluidi moleculas in motum concitare valent, eodem conatu, & feliori eventu, ut optimè addit Dolæus cap. 7. de scirrh. tumores scirrhosos dispescunt,

dispescent, & calculosam viscerum duritiem dissolvent; cuius generatio subsequitur à succorum in cellulis glandulosis diversæ indolis coagmentatione. Cum sanguis acidofalinis terreisque scatet particulis, testudineo motu partes corporis perluit, & ad angustos glandularum ductus per arterias delatus, crassiores in ipsis vasculis portiones relinquit, quæ venarum ostiola subintrare nequeunt. A glandularum porro circumpressione, & motu, subtiliores sanguinis in vasis contentæ particulæ in motum adactæ, dum à graviorum connubio desciscentes ad ora venarum impingunt, crassiora salia, & terreo-sulphurea in parte remanent, quorum acido terreæ particulæ à sanguinis præterlabentis appulsiu validiùs pressæ, in alkalicorum poris, & sulphurum ramis altiùs involvuntur, mutuòque nisu inter se ità combinantur, ut undequaque pressis propriis ad se invicem accendentibus exhaustis tenuioribus aqueis, tumor exurgat. In hoc graviori casu, licet mercurialia educere possint viscositates sale, acidoque effætas per glandularum salivalium tubulos, raro tamen, nisi post defatigatum mendientum opus, usurpentur. Quoniam scirrhosus tumor in partibus mollioribus genitus per successivum fluidorum appulsum, laxas tubolorum, ac cellularum fibrillas inflando ità distendit, ut vehementius distractis glandularum villis, fortius ab invicem divulsæ non resiliant in contenta fluida, fit ut à vehementiori fundente, & impellente majori, novus distensis fibris addatur impulsus, quæ ad susceptum impetus momentūm sustinendum impares, uberiorem materiæ copiam ad laxos membranarum poros deferri patiuntur; undè concrementum quasi lapideum in folliculis conclusum, à solidorum nisu nec ullo incutiente commotum, ab appellentibus succis jugiter irrigatur; atque ex plurium fibrillarum fasciculis à fibroso sanguinis crassamento mediante salivatione depromptis majus conficitur, adeòque in dies magis increscens lapidum ritu in insignem molem extuberat: proindeque in morbis, si summa adsit fibrarum mollities, quarum resilitio vires à quocumque percussientis impetu facile frangantur, licet jam dudum à mer-

curio averruncetur morbus, redit tamen, ejusque radix in ipsa villorum flacciditate, & fibrarum laxitate parva vi extendenda regerminat, ut observavit Wedelius podagricum salivatione liberatum, post tres annos in eundem morbum incidisse, sed mitiorem.

Scorbuticam affectionem septentrionis, & maris incolis frequentissimum morbum per salivationem fugari, fatentur Johannes Burgius in dec. 2. annot. 3. Joannes Acholitus in decif. 2. annot. 9. at dumtaxat in illo scorbuto, in quo sale evecto, & fluore potito mobiliores sanguinis particulae crassioribus implicitae detinentur, atque crassam, & veluti acido-mucilaginosam consistentiam induentes, pigrè in vasibus circulantur, à quibus sanguinis massa compage magis restricta, & crassiori donata, salibus quidem acutis, sed glutine cohibitis, simulque incuneatis detenta, torrentis instar lutum secum rapientis, lento progreditur motu ad viscera minimæ pressionis, & ad vasculorum angustias delata in ipsis fæculentias quasi limofas affigit. Tunc in hujusmodi diathesi scorbutica, in qua crassum est attenuandum, stagnans mobile, & cohærens fluidum reddendum, salivare erit sanum facere.

Hoc consilio in amaurosi, sine optici filamenti dilaceratione, & absque eorumdem antiquata obstructione, festinanda est salivatio, si à crasso humore in nervorum meatus illapso, vel ab arteriolis retinae compressis obstructisque denegetur tremor nervorum ad sensorium, vel à tumore in cerebro nervos opticos premente (ut doctissimus Plateanus observavit) impediatur directio opticorum, & pupillarum planities, ut angustatis canalibus, vel in ipsis hærente glutine, adeoque spirituum via impedita aboleatur visio. Ad hunc humorem ex opticis evellendum, & tenacius in capite impactum proliwendum felici successu mercurialis salivatio procedet. Sic artificiali pthyalismo suffusiones curatas testantur Riverius, Fonseca, & Schenckius.

Ubicumque serum, vel lympha sanguinis extrà vasorum decidua in cavitates aliquas exudando colligitur, vel sanguinis

guinis cursu pigrè fluente pars ejus aquosa præter modum vasa distendens tandem eadem emollit, ut partium vigore non restituto, & fibrarum elatere sufflaminato extrà venas, vel lymphatica erumpat, hydrops succedit, quem vidit D. Andreas Ernius misc. c. dec. 2. annot. 4. obser. 36. à fali-vatione artificiali de medio sublatum. Verum ne salivatio à scopo aberreat adquem collimat, in hydrope thoracis à pulmonum labe congenito fugiendam consulo. Pulmo-ne hydatide, vel vomica aquosa turpiter affecto, inter ejusdem finus lympha accumulatur, vel rupta vomica in thorace recipitur, quæ quoisque in fistulosis pulmonum vesiculis hæret, cognoscitur à tussi sicca, dispnoëa, dolore gravativo, quibus additur hoc unicum tanquam pathognomonicum à Riverio relatum, quo solo hydrops pectoris à cæteris difficultatis respirandi speciebus distinguitur; quando nimirum spirandi difficultas primo quoque somni tempore invadit, ac per noctem magis urget, quæ adventante sensim die lentescit. A practicorum vulgo hic morbus confunditur, licet graphicè ab Hip. delineatus sit 2. de morb. Febris, & tussis tenet, acervatim respirat, & pedes tument, contrahuntur, & patiuntur talia, qualia is, qui suppuratus est, sed debilius, ac diuturnius; & si quid infundas, aut fotum aut suffitum adhibeas, pus non sequitur; atque ex hoc sanè cognoveris, non pus, sed aquam intus esse; & paulò post subdit; & si multo tempore aure ad latera adhibita audire tentaveris, ebullit intus, veluti acetum; laceratis inde sinubus, & vesiculis lympha fœtore olens diaphragma inundat, quæ in thoracis cavo collecta distinguitur à novo dolore, & pondere diaphragmatis fornicem premente, hinc à decubitu in latera cum strepitu lymphæ motum advertes; huic supervenit hectica febricula, fames sublata, rubor genarum, anhelosa, difficilis, & erecta respiratio, tussis perpetua sicca cum metu suffocationis jacenti, quibus addit Gal. 5. de loc. affectis cap. 9. fluctuationem; nam ubi quis, inquit, affatim à decubitu transmutatur, idque maximè si ab uno latere in aliud se convertens defluere aliquid sentiat, puris multitudinem ibi contineri haud dubia conjectura est.

A vasorum lymphaticorum laceratione subortus hydrops, prout omne auxiliorum genus spernit, sic à salivatione mercuriali exasperatur. Juvenculam viginti quatuor annorum dissecuit Theophilus Bonetti, quæ per sexdecim annos Ascite detenta, indeque tandem mortua, in ipsa nullius visceris vitium invenire potuit; crudeliter hæc enim in pueritia tractata, ictibus pedum sæpiissimè cæsa, ob lymphaticorum disruptionem occubuit, quæ per tot annos vitam produxerat misella, ob viscerum labem non subsecutam. Affectus hic pro ut curatu, sic etiam cognitu difficultissimus est, nam licet exterior ventris subdurus tumor unà plurimorum judicio evidentissimè percipiatur, attamen quæ sit causa tumorem producens, & quomodo in ventre progignatur, aut aliundè illic adveniat planè nescitur; id circò hujus morbi naturam, & causam latere arbitror, quia cum prima ejus initia non advertantur, subito in immensum excrescens, statu ejus peracto aliam sibi consciscit naturam, & suam amittere videtur. Quapropter opinor, ubi sanguifera vasa, nempè illorum oscula nimis laxa non existunt, aut vasa lactea, aut lymphatica non sunt discissa, innatum cordis vitium, & solidorum mala conformato hydropem foventium in suspicionem non cadit (excresciam enim ramosam in utroque ventriculo cordis infixam, & per vasa in pulmonem delatam in sectione hydropici reperit Caspar Bauhinus apud Ger. Horstium tom. 1. Loverushistoriam de Pericardio in tract. de corde cap. 2. fortiter cordi adhærente recenset: post cordis palpitationem Ascitem irrepisse observavit Bonetti lib. 2. de palpit. cordis, *cujus cadaveris cor relaxatis involucris circa septum transversum descendens os gerebat*; salivationem inquam, sepositis recensita organica vasorum, & viscerum labe, esse in hydrope fortassis unicum auxilium, quod valet cæteras hydropis causas dispescere, antequam æger tenuiori medentium genio indulgens in lethalem hydropem incidat, in quo fauciatis lacteis ductibus minima spes salutis affulget.

Nemini latere puto, omne hydropis genus produci primo ab omni causa, quæ valet serosam sanguinis partem ita coér-

coercere, ut redire nequeat in venas, aucta deinde vasā distendit, & tumida reddit, in distensis proinde vasculis elastico labore orbatis sensim restagnans, eadem ita obstruere potest, ut in hisce partibus liquor concrescat, cuius humoris concretio comprimens, aut obstruens, ora vasorum oblitterando, vel arctando Icterum, vel cachexiam parit, donec tandem laesio viscerum inde procedat, tuncque hydrops priores effectus sequatur. Omnes itaque ægros pertinacibus viscerum obstructionibus hydropem minantibus affectos mercurio curarem. Dom. Panarolus pentec. 4. obser. 24. helluonem hydropicum secavit, cuius hepar in tantam molem excreverat, ut universam ferè diaphragmatis cavitatem repleret, totus durus, & magnitudine monstruosus. Pet. Panujus obser. 13. virtum, qui hydrope obierat, fecuit; huic lien adeò intumuerat, ac induratus erat, ut tres libras lance libratus penderet; jecur inde optimè constitutum, & naturali temperie præditum invenit. A renūm calculo ureterem obstruente hydropem notavit Hollerius ad cap. 39. lib. 1. de morb. Ab iisdem pinguedine undique obsitis observavit Albertus Kiperi. Mesenterium ferè innumerabilibus strumis per totum ventrem se offerentibus reperit Franciscus Caillé Gentensis, ut ferè ab illis oblitteratum esset, hinc in hydropis cadavere, qua obiit, causam inquisivit. A glandulis mesenterii obstructis hydropem refert Christianus Rudnicius in miscell. curios. anno 1673. observat. 159. Olaus Borrichius in actis Medicis Barthol. cadaver dissecuit, quod ex hydrope obierat habens glandulis omentum scirrhosis refertum. Hujus census infinita extant exempla, quæ hydropem à viscerum obstructionibus oriri non ægrè pandunt.

Ea enim est universi corporis, & vasorum omnium harmonica constructio, ut humores per intervacos loculos, & spongiosas inanitates circumfluentes per eorumdem ductus æquè, atque per poros undequaque elabantur: ex hoc inoffensam mixtionem servantes per pervios fibra rum canaliculos trajecti omnes machinulas instaurant, & partium æquilibrium conservant, tandemque quicquid su-

pervacaneum est per innumera cribra separatur; verum si obstruantur ductus, illic comprimantur, alibi sordibus alluantur, fibræ, villi contractiles, glandulæ, & diductilia vasculorum filamenta debitam liquidorum quantitatem nec absorbent, nec æquali nisu in fluida nituntur, nec contra secernibilia separant: hinc ab obstaculo obstruente, vel circumprimente præpeditis facultatibus contractilibus, non solum retardatur influxus fluentis liquidi, ne per totam longitudinem, & canarium amplitudinem diffundatur, sed cum non possit extrudi à contactu vasorum quicquid est inutile, & stagnat, magis mobile per poros fibrarum exsudat, aut per glandularum vascula erumpit in membranarum lacunas, & paulatim viscerum sinus, atque cavitates laxat, & alluit. Causæ hujus collectionis aquarum est stagnantium fluidorum in glandulis inertia, vascula occludens, & membranas distrahens, quæ præpediens virium ac facultatum exercitationes, privat fibras contractionum, & distractionum vi, ac proinde pressionum ac circumpressionum momento, adeoque stagnantes liquidorum particulæ à machinulis villorum atque fibrarum valde distractis, ob violentam distractionem, atque tunicarum extensionem ad pristinam cohaesionem, & naturalem statum non restitutis, in circulum impelli non possunt: ita affuentes, & undequaque impellentes fluidorum moleculæ, vires, & fibrarum resistentias extenuant, ut impetum appellantis liquidi, & pondus stillantium guttularum sustinere non valeant, ne poros fibrarum præterfluant, ac in cavitates aliquas decidant. Igitur salivatione artificiali moliri poterunt separationes opportunæ, antequam ob villos contractiles nimio conatu dilaceratos in interjecta spatiola, inter oscillæ infracta vasculorum, latentia inter filamenta, spongolas, atque fibrarum moleculas extrâ suum locum sitas derivent humores, qui ab hiantibus vasculorum oscillis, & fibrarum poris in proximiores lacunas indefinenter erumpunt.

ARTICULUS VI.

De Phænomenis salivationem concomitantibus, & consequentibus.

Mercurius per plures dies exhibitus, parvaque quantitate assumptus quaquaversum pergit, atque tam suæ gravitatis, quam impetus ratione, crassos liquidorum pigrè circulantium lentores incidit, solvit, ac fluidos reddit; quin paulatim, indè confertim, & magna copia per arterias ad glandulas salivales deducit, donec salivatio succedat. Humores in glandularum cavitate existentes, & in arteriolarum capillamentis summè distensis à successivo & indesinenti liquidorum appulsu moram trahentes, pituitosi, & glutinosi, acresque soluti, exitum sibi parant per salivæ vias, quæ vitiosis humoribus enormiter inflantur, ac propterea incipiunt intumescere gingivæ, atque angi, dolere tonsillæ, inflammari maxillares, ardere fauces, dum magna copia se ferente ad salivales glandulas pituita, non tantum glandulae superiores, sed & inferiores indè replentur, ac intumescunt; verùm tota oris, & faucium tunica glandulosa eodem glutinoso sero tunc impletur, ac distenta levem, & nonnunquam periculosam producit (si nimium festinetur salivatio) in faucibus angustiam, quæ saliva viscosa subsistente in canalibus suis, ac proindè eosdem extrorsum extendendo in tumorem attolluntur, à quo glandulae vehementer distractæ dolore, atque ardore plectuntur; & cum fibrarum distractio fieri non possit absque eo, quod membranæ canarium, & quarumlibet aliarum partium in parte, quæ distenditur, à proprio termino recedant, neque à sua positione distrahi, quin ab invicem dividantur, poterit aliquando succedere laceratio aliquot canaliculorum, & multò facilius, si acria, ac effera soluti lentoris salia fibrillis infigantur, & ipsa sint tanti momenti, ac impetus, ut vasculorum connisum, & resistentes glandularum villos superare possint, ex qua canaliculorum laceratione contentus liquor jugiter effluet cruentus, sincerus, mixtus, qui absque

illa laceratione poterit pedetentim in os derivari, si per stimulum contractiones, & fibrarum distractiones sint tanti impetus, ut quæcumque continentur intrà partem, quæ contrahitur, atque distrahitur, exprimere possint extrà glandulas, & eo facilius, quo illæ fuerint vividiores, & cum sensu doloris conjunctæ.

Tumefactis gingivis, quæ ulterius firmant, & stabiliunt dentes in suis alveolis satis profundis, maxillis insculptis impares fiunt (dum à ligamentis succingentis membranæ distensis trahuntur, pellunturque) resistendi distractarum fibrarum viribus, eaque ratione vacillantes, ac proinde minus firmi extrà ordinem quasi per novos alveolos prodeunt, ut excidere videantur, semperque quasi tremore quatiantur; quo casu ut plurimum extrorsum, introrsum, ac si nova foret dentium series protrusi à Mercurio, veluti ab hasta Achillis, quæ vulnerat, & sanat, pedetentim firmantur, & suis fossulis detumescentibus gingivis denuò recommittuntur.

Mirè commoti, & ad fauces in primis propulsi humores glutinosi, aliique eis admixti per universam sanguinis massam, immò corpus universum diversis in glandulis oris aggeruntur, & spumæ ad instar malè olentis continuò ab ipsis exstlicant, adeòque fætor anhelitus qui stagnantis lentoris eruptionem in procinctu esse manifestat, & salivations stadium plerumque comitatur. Subsistente glutinosa saliya intrà arteriolas, & glandulas, easque proinde distracthente, particulæ succorum quorumdam acutissimæ cum ipsa conjunctæ, dum transitum nullo obice impeditum non reperiunt, in vicinas illas fibras vehementius agunt, & impetuosiùs pelluntur, easque discindendo, perterebrando, non tantum dolores graves, & molestias immanes producunt, quin confertim effluente humore acri, oris ulcerâ, & linguae relinquunt.

Salivatio itaque cum fiat per humoris pituitosi ubique, ac in primis in sanguinis massa dissolutionem, hinc ad salivæ glandulas deductionem, quoties paulatim, ac successivè à mercurio similis materia pituitosæ secretio contingit in glandulis

dulis pancreatis, & ventriculi, toties humoris pancreati-
ci, & stomachici, & quidem viscidioris, & acrioris ita
contingit copiosior separatio, ut ad tenue intestinum, ac
ventriculum copiosius diductis humoribus, irritetur po-
tentius eorumdem utraque pars. Ab illa enim molesta vel-
licatione exprimitur copia liquidi summè mobilis per ner-
vos major in ventriculi musculum, aut in fibras intestino-
rum, undè illius motus peristaltici violenta inversio, atque
indè cum subita, ac valida ventriculi constrictione, si quæ
sint contentorum, per os ejiciuntur, atque proindè à
confluentibus in intestina humoribus, ibique agitatis ad il-
lorum expulsionem eadem convelluntur, & alvi fluxus fa-
tis gravis, & nonnunquam periculosus consequi solet.

Quoniam verò inflata lingua, in tumorem elevatis
faucibus, canales cibi & potus ita comprimuntur, ut
naturaliter non pateant, & liberè moveri non possint,
non solùm prohibetur pharyngis motus, sed fibræ
muscularum Buccinatorum, Zygomaticorum, elevato-
rum, depressorum labiorum cum cæteris muscularis cibum
in œsophagum protrudentibus, humorum copia adeò con-
trahuntur, & vasorum tiliæ infaciuntur, ut materia quæ-
libet deglutienda ad palatum perducta per impetum à linguæ
motu vitiato conceptum, & muscularum vires in cavita-
tem œsophagi exprimatur difficiliùs. Prout igitur glandula-
rum, & muscularum tumor canalem comprimet, ex æquo
vitiabitur deglutitio, & eò magis si pharyngis musculi plus
justo lædentur; Hinc aliquando in artificiali hac per mer-
curium excitata salivatione, prout comitantur oris ulcera
satis ampla, genas inprimis & linguam depascentia, dum
effluit saliva acris ac exedens, ubi eadem ferò ad curatio-
nem tendunt, cicatrices molestissimas relinquunt, quæ quo-
niam motrices fibras ad majores contactus eas crispando
redigunt, indè partes nimis arctè colligunt, ex quibus de-
nuò non explicatis fibrillis, non rarò linguæ motus manet
impeditus, ex parte prohibetur deglutitio, generum mo-
tus vitiatur, & propter fibrarum inflexilitatem constituitur
pars veluti rigida, ut mihi semel in praxi videre contigit,
quæ ob influxum sanguinis, & liquidi per nervos impedi-

ti, à nulla vi, à nullo volente in motum agetur; undè illa pars paralytica fiet, & quamvis linguæ, labiorum, genarumque motus, gargarismis, (si in tempore præveniantur hæc mala,) qui humores acres temperant, ulcera mundant, atque blandè exsiccant, restitui possit, cavendum tamen, ne confertim, & diutiùs promoteatur salivatio, dum non tantum glandulæ successive replentur, atque inde intumescent, verùm tunica glandulosa post peractam salivationem jugiter pituita impletur, & relaxatis fibris distenta molestum & nonnunquam periculosum phytalisum continuò fovet.

Post longum salivationis cursum tum sanguinis arescit, tum copiosa excretione succi nutritii per glandulas salivales facta partes musculosæ debita nutritione privatæ in naturalem quasi atrophiam incidunt, quæ tamen non succedente excandescientia sanguinis, & spirituum, adeòque calore hectico fixo non irrepente, & colliquante in partibus solidis, ulteriùs magis non marcescentes à novi oleosi chyli pabulo in sanguinem continuo delato, in dies reparantur, atque inde tota novo massa sanguinis succo jugiter saturata, magis apta alitioni partium redditur, & consequenter massæ sanguineæ emendatione atrophia totius corporis sensim evanescit, adeò ut inde novo euchymo, & oleoso succo in pristinam oleosam, & nutritioni aptam naturam sanguinis crassi restituta, melius in dies se habeat æger, quo vires carnesque continuò resarciantur, usque dum sanitatem firma, & athletico corporis statu fruatur.

A R T I C U L U S VII.

De Methodo Salivatoria.

Nunc præstat Gallica sorde marcescentes, ut cum Celso sternatur via Medicamento, Mercurialium suffragia, non ornatum cum ipso Celso edocere, ut sciant ubi syrtes, & scopuli lateant, & quomodo sint vela trahenda, quibusve plagis advertenda prora, ne mentis lenocinio, ac blandi-

blanditie laboris decepti, præcoci nimium experimentali impatientia amplectendæ salivationis desudantes, artis constantiæ, & saluti officiant, & incremento. Utile quippè, ac pulcrum est experimentali, ac empiricæ rationali rei medicæ veritati inniti, ut Celtici morbi curationem à rudi experientia vindicem, & in rationalem methodum discentibus æquè ac docentibus pronam convertam; experimentorum laboribus mixtorum rationali analysi operam navans, intimamque ab ipsis naturam extorquens, in hac re plura phænomena obscuritate naturæ involuta, pluresque agentium facultates aperta luce mihi paravi, quibus ad ea, quæ in corpore humano salivando operantur, accommodatis, iisque tanquam causis in agendo ad praxim demonstrativam adhibitis, non exiguae vires arti salvatoriæ accessere, quæ mentem artificis in experimentali inventione excitando, eam in observatorum examine, ac judicio exacuit, ut in percipiendis viribus, ac corporum legibus expenden-dendis securior facta, minùs erroneam, ac commentatiā methodum constituat. Itaque per ipsam ad quoddam veri specimen perducti, si nescimus adhuc, quid sint Venereorum morborum radices, addiscimus saltem (pluribus inaccessum) quibus curantur; quo fit, ut disruptis Theoriæ medicæ repagulis, ac veluti mei juris factus, per immensum salivationis æquor discurrat. Explanatis igitur difficultatibus, & excisis ab arte alienis phyliatrorum aberrationibus, erigitur animus, & me ad jatrica prælia revoco, ut certi sciendi docendique in arte salvatoria omnium vastissima limites statuantur.

Cum verò, ut proprius ad rem accedam, venerea Iues eosque invaluerit, ut durior hujuscemorbi feritas extirpari non possit, nisi per salivationem mercurio excitatam, mihi onus incumbit, quæ in ea promovenda, tum etiam regenda observatio mihi dictavit, edisserere; cum enim eò res redigitur, ut non adscitis temerè suppetiis salivatio pro-movenda sit, nulla ratione quidem assequi possum, qui fiat, ut ad frangendos luis conatus, æger adhuc viribus ve-getus, sanguinis missione rectius subjiciatur mercurio, cum

testante experientia nulla sanguinis evacuatione debilitati, proindeque pares Mercurii conatibus, salivationis imperium nullo labore sustineant.

Cum sanguis non solum impellatur à corde, & nisu succedenti sanguinis, quem exercent particulæ quæque ad contactum positæ intrà vasa à tergo urgentes, sed etiam ab arteriarum tunicis impingente sanguine distractis, & sese post dilatationem restituentibus, fit, ut villi membranas arteriarum texentes nimio sanguine distenti, indeque prohibiti, ne possint se planè contrahendo in sanguinem niti, sanguis fluat minori velocitate, quām quæ requiritur ad mutuam partium cohæsionem divellendam, & eò minus in divulsionem nitetur, quo in arteriæ distensione minor vis attritionis dabitur, adeoque quoniam per sanguinis missionem fit, ut ipsius particulæ in mutuum contactum minus nitentes à frequentiori, & celeriori arteriarum oscillatione majori nisu agitantur, sequitur ut quicquid sanguinis relinquitur in vasis, validius in motum agatur, & si nisus major fuerit resistentia à partibus cohibentibus, & coactis proveniente, intimè dimovebitur liquidorum cohæsio à motu prohibens partes magis mobiles, & reliquis impellendis aptas; quoties igitur in celtico morbo dabitur sanguis nimis coactus, & arteriarum tunicas ità distendens, ut partes sanguinis succedentes, dum in antecedentes impingunt, per illam pressionem non possint se invicem allidentes divelli (quæ major allisio faceret, ut una particula fortius attrita majori vi divideretur ab alia) ille igitur coalitionis nisus per sanguinis missionem minuendus erit, & arteriarum distractio removenda, ut partes divulsæ extracentur, & à solidorum inertia cohibitæ in majorem motum nitantur.

Si vero hic, cui mittitur sanguis, sit imbecillioris, & minimè constantis roboris, ut videre sæpè contingit in venea lue confectis, è sanguinis detractione concidat operet virium robur; è sanguinis enim quantitate minore in Arteriis contenti minus extenduntur meningum fibrillæ, à quibus minori momento impelluntur per nervos spiritus, undè

undè minor quantitas spirituum in vilos cordis derivata cum ejusdem contractionem remittat, cor in sanguinem nitens, suique motus impertiens iners pressionis momentum, debiliorem nisum fluenti sanguini imprimet. Hinc successivè ob rariorem, & solidorum debiliorem motum augentur liquidorum resistentiae, undè sanguis recedens minori velocitate per vasa, quam antè missione, minori momento alliditur; & cum facultates fluidorum attritionem molientes sint maximè infirmæ, earum momento non majori momento cohæsionis sanguinis non poterunt particulas inter se cohærentes dimovere, idcirco lensor in sanguine augebitur, qui major non fieret, si sanguis emissus enervata cordis contractione resistentias fluidis non adderet. Quoties igitur certus esse poteris, majorem quantitatem sanguinis, quod perarò videre est, quam quæ fluere potest per canalia sine vehementi diductilium laterum distensione cum particularum pressione in gyrum languidiùs rotari, ne dubites, ut motus, & resistentiarum æquus existimator sanguinis missione ægro oportunè occurrens, nocere possis; alias misso damnoſo hujusmodi præjudicio, in omni salvatione feliciter excitanda præmittendum est catharticum aliquod, quod humores in ventriculo, ac intestinis collectos per alvum educat, ne imprudenter prius adhibitis medicamentis salvationem excitantibus, Vomitus, aut ventris tormenta exurgant: indè phtisana humectante, & laxativa ægrì hue tabescentes præmuniantur, quæ conficitur Sarsaparilla, Radice Bardanæ, Graminis, Semine Hordei, passulis exaci-natis, Liquiritia, & Aqua fontis, quæque pro modulo potus uberi copia, si fas sit, per duodecim dies exhibeatur.

Quoniam celticus lensor à fluidis concrecentibus inspissatus, sanguinem privat ea portione, quæ corporis partes humectando ad motum disponit, lentè rapitur per vasa, nec potest intimè ab ullo solvente recludi, donec humido omnium fluidorum vehiculo occurrens, laxato nexu cohæsionis, promptius non compleat circuitus; hinc aquæ moleculæ intrà poros viscidi sanguinis conclusæ ejusdeni contactum dimoyent, resistentias lensoris imminuunt, quibus

bus pariter laxatur rigida solidorum tensio, & elasticitas, ut possit ab impulsu gravi Mercurii distensa alternatim restitu : rigidorum vasculorum tonus validè contranitens Mercurii momento, ejusdem impetum eludit, at corpus illud, dum diuturnè intunicas arteriarum impingit, sui motum villis impertiens, successivè tandem totum in ipsos transfert; impresso autem fibris impetus accelerati momento, solvit virium contranitentium æquilibrium, undè cum arteriæ nec majori impulsu distrahanter, nec impellantis corporis substineat nisum, à se invicem dissiliunt. Idcirco priùs præparato ægro laxativis diluentibus, mercurio dulci in pillulas efformato cum gum. tragan. vel cum conserva viol. paulatim, ac successivè salivationem promoveo, adeòque cautè procedens lentè moveo. Post quartam, vel quintam diem gingivæ intumescunt, & phtyalismus suboritur; cum æger expuere incipit, gradus salivationis summa diligentia expendo, an erumpenti salivæ frænum, vel calcar sit iniiciendum: ubi autem phtyalismus eosque evectus fuerit, ut nycthemeri spatio quatuor libras expuat æger, nullum amplius stimulum addo, ut non intendatur salivatio, & cum hoc modo illa satis procedat, caveo ab omni mercurii usurpatione ulteriori, ne à nimia quantitate delatis ad salivæ glandulas humoribus glutinosis, æger in vitæ discriminem coniiciatur. Hoc modo protracta salivatio, si fortè priùs elangueat, antequam morbus penitus evanescat, novo subinde stimuletur mercurio, quo usque mephitici mercuriali, salivæ lentore, & sputi falsitate glutinosa omnimodè cessante, æger in totum convaluerit.

Quandoquidem accidit præsertim in corporibus facibus impuris refertis, ut simul ac mercurio sanguis afficitur, tormina ventris, & dejectiones mucosæ quasi dysentericæ eveniant, quibus non solum curatio mcrbi retardatur, perturbaturque, verùm impeditur, nè salivatio succedat, itaque in urgentibus hisce malis cohibenda est diarrhæa, & sedandus dolor opiatis, & paregoricis pharmacis, quo usque hæc symptomata penitus evanescant, atque salivatio satis procedat. Cæterùm benè procedente salivæ purgatione, quoniam

niam in diuturno salivationis stadio non tantum sanguinis fibroſi, & ſerosi colliquatio, verum etiam ſaburra veteris effati, & novi chyli oleofi copia per ſalivæ duc̄tus liberè indeſinenter excernitur, fit ut ob continuam ſanguinis de-pauperationem partes corporis ſolidæ debita nutritione pri-vatae prorsus marceſcant; idcirkò ad præcavendam hanc vasorum inanitionem, & carnis marcorem, maſſa ſanguiniſ novo jugiter aquearum ſucco tempore ſalivationis fatu-retur, quo rasura c. c. paſſulis, anifo, & aqua fontis confe-cto ſolidorum colliquatio, & conſequenter atrophia totius corporis reparatur. Si in ſuſtinendo urgenti gingivarum, & linguae dolore impar ſit æger, colluatur gargarifmate ex rad. alth. liquir. fol. mal. ſem. hord. decoctis in aqua fontis, addendo ſyrup. de hybifc. Si verò cum gingivarum do-lo-re in dies cum ſuffocationis periculo augeatur phtyalismus, opiatis, & anodynis liquoribus compescatur, vel alio diver-tatur catharticis, cæterūm ægri regimen id tantum expoſit, ut à vi frigoris ſe defendat, cibis euchymis, & mode-rate vefcatur.

A Venerea lue liberati hujusmodi ægri, ſi œconomiam illorum corporum eversam, & vires proſtratas refaciendi minùs idonei ſint, ſed ſanguine eorum acescente incaleſcant, ne in lethalem tabem incident, ſiccoque maraſmo affician-tur, ad jufcula avenacea, gelatinas, & laetea, ſpiritus defatigatos, & vires deperditas restaurandas apta delegentur. Interim ægro convalescente poſt ſalivationem peractam, nec cathartica, nec ſudorifica alia in uſum revocanda veniunt. Attamen nescio qua ratione quidam freti quicquid maligni-tatis à Mercurio, ut vulgus ait, in corpore relinquitur, aut Mercurii reliquias per cathartis, aut diaphorifam expellere conantur. Hujusmodi autem hallucinationes in practicis il-lorum præjudiciis fundatæ, ita in eorum animis infiguntur, ut pro Junone umbram captantes, delirantium inſomnia pro fundatis principiis concipient. Seriò verò cum Sidenham animadvertemendum eſt, in quibusdam reperiſiri idiosyncraſiam, quæ ita ſalivali purgationi reſiſtit, ut nullo modo ex-citari poſſit ſalivatio, quæ ad eradicandam mali radicem par-

fit; igitur ab isto evacuationis genere recalcitrante natura, ne loco perfectæ salivationis dolores ventriculi, sudores frigidæ, dejectio dysenterica cum ventris torminibus insurgant, cave, ne obstinate salivationem importunius urgeas.

Cum igitur allata methodus, nec dies præparando corpus ante salivationem inutiliter consumat, nec decoctis post salivationem ægros extorqueat, quisque experimento discat in praxi versatus, eamdem longè faciliorem esse, magisque tutam. Nec vos deterreat deglutitionis difficultas, oris labor, & dirigendæ salivationis requisita solertia: Quid autem pulcrum in accurato naturæ, & artis experimentalis labore pluribus inaccesso, quod non idem arduum! Ad hanc itaque salivationis methodum per repetita experimentorum tentamina, perque nunquam intermissas historiarum notationes consecutam, nuperisque historiis excultam animos erigite, quæ eventuum certitudine, & virium constantia, in laborum tædio rationalam disciplinam constituit.

HISTORIA I.

Gallus homo originaria veneris labe fædatus, sensim que febrili algore emarcescens, universali quasi maiestate conficitur; pedetentim in dies increscens, tophus in septima propè os pectoris, ubi os desinens cartilaginem recipit, costa protuberat. Venetiis veris tempore cum decocto exsiccanti, & sudorifico hypocausto committitur, at post octavam circiter diem copiosis sudoribus subtilioris seri depauperatus sanguis, magis perenni febrili stadio incalescit, atque tophus febrili incendio magis urens doloribus ardet; Hinc calore sanguinis inflammatae tophi particulae, motuque ejusdem urgentiori commotæ, ita ad se invicem allidebantur, ut concretionis nexum diffringerent; sic in suppurationem abeunte tumore ulcus satis ingens, graveque olens cum ossis erosione circumfitas fibrillas depascetur. Verum benignioris auræ lumine afflatus ab hypocausto recessit, & successivè solventi blando liquore, sed aqueo continuo rigatus, indè salivationis cursum feliciter exegit:

Interim

Interim solo spiritu vini camphorato pro ulcere adhibito absque ulla symptomatum sævitie, & doloris recrudescencia perdomata febre, repurgato, & consolidato ulcere, ultra expectationis spem triginta diebus evasit.

HISTORIA II.

JUVENIS bilioſo-melancolici temperamenti, gracilis habitus, angusti pectoris celtica labe autumno, & hyeme grassante affectus emarcescit, & magis febre lenta, quandoque etiam quotidiano typo algens, atque incalescens, nocturnis doloribus ad artus ferè omnes torquetur cum siccata impetigine faciem, ac ferè universam cutem fædante. Æger ab enormi fluidorum vitio, & subsecuta solidorum labo vexatus, veris tempore salivationi committitur, quam post largum viscidissimi phlegmatis effluxum circà summos labores trigesimum circa diem remittentem, exceptit (præcesso dolore pectoris cum tussi) purulentum sputum, phtysis lethalis epyphænomenon à pulmonari infarto, aut tuberculo antè salivationem in pulmonibus latente, & salivationis tempore suppurato, aut disrupto; interea ad diluentia, balsamica, & lactea irrita medicamina delegatus, à nova tuberculorum inflammatione, & pulmonum exultatione unà cum colliquativa diarrhæa è vivis funeste sublatus est.

Hoc eventu videtur mercurialia salivatoria proficiscienti tabi pulmonari calcar addere, & quæ extergendis, exsiccandisque internis aliis, externisque partium ulceribus præstantissima passim experimur, in infartis pulmonibus criminé non carent. Clarissimus Morton in phtysi symptomatica à celtica lue haud veretur mercurialium usum. *Ideoque inquit nil melius excogitari potest, quam ulcerum pulmonarium sanationem, & crasis sanguinis à fermento venereo eversæ restitutionem mercuriali aliqua salivatione tentare.* Hac fortasse adhibita in tertio ejusdem stadio post tuberculorum suppurationem ad extergendum, & exsiccandum consequens ulcus, non verò in eorumdem cruditate, aut in pulmonibus prius obstructis, & in

phtysim dispositis; cum in hoc casu videantur mercurialia sponte irrepentem phtysim promovere, adeoque ad inhibendam tuberculorum latentium inflammationem, & suppurationem inepta, licet fortasse ad eorumdem exulcerationem abstergendam, exsiccandumque consequens ulcus apta.

HISTORIA III.

JUvenis quidam circà annum ætatis suæ vigesimum octavum, lascivus, & nequam post concubitum venereo veneno per contagium adeo inquinatus fuit, ut non obstante plurium medicaminum anticelticorum ope à medico instituta, aliisque curationis methodis incasso molimine accersitis, post uvulæ erosionem, atque alia luis venereæ stigmata foris, & intus excrescentia, in summam incideret deglutitionis difficultatem à tonsillis intumescentibus, atque inflammatis cum febre, & totius corporis emaciacione incipiente. Ob glandularum folliculos à contento fluido summe turgescentes maximam indebat formidinem mercurialium usus, utpote ab intus commota materie fluidorum, & ad glandulas jugiter affluente tonsillarum inflationem promoventium; Verum salivatione promota, dum cæteræ salivæ glandulæ à confluente liquido distentæ intumescunt, simulque exulcerantur, ab ipsis tonsillis depluentibus sanguinis fluxus filamentis, sensim humorum infartus in ipsis gliscens detumescebat, quo usque perenni fluxu viscidu, atque erosivi phlegmatis erumpente perfectè patiens, & fine ulla recidivatione à tonsillarum tumore, ulceribus æquè, ac reliquis luis cruciatibus penitus vindicaretur.

HISTORIA IV.

MUlter ante gestationis tempus lue venerea affecta, dolore, febre, tophisque in diem incrementalibus circumsepta, feliciter mercuriale, cum diræ luis feritatis remissione salivationem transegit: at post stadium salivationis transactum fæcundationem passa, uteroque gerens, in quat-

in quarto mense celtico veneno denuò inquinata , aut re-crudescente (ut sàpè recidivam patiuntur hi , qui vario le-nocinii apparatu phtyalismum demulcent , aut salivationis tempus non explet) lenta febre , & macie denuò confi-citur , in osse frontis novus extuberat , aperiturque tophus , ac recens ulcus suprà uvulam palatum exedit , à quo exor-ta deglutitionis ingenti difficultate , tum solida , tum fluida materia per nares regurgitante , summus virium lapsus auges-cit ; in hoc gravi morbi statu alteri salivationi subiicitur fialogogis pilulis , hisque repetitis , aut intermissis juxta tardum , aut celerem phtyalismi impetum , nulloque in-terim uterino symptomate obvio , quod abortum prænun-ciaret , copioso sanè effluxu mucosi , ac uliginosi phleg-matis salivatione peracta integrè convalescens , filiam com-pleto gestationis tempore salubrem , absque sui ipsius reci-divæ metu , obstetricante mercurio , peperit . Igitur quam-fit malesanum commentum , & inanis timor eorum , qui in prægnantibus mercurialium usum abhorrent , aperte evincitur , & clarè elucet .

HISTORIA V.

Vir quadragesimum annum natus admodum robustus , laxatis victus habenis , & cum scortis avidissimè lu-xurians , nulla virulenta infectus gonorrhæa , celtico rheu-matismo gravissimè afficitur , maximè noctu prædiris cru-ciatibus in capite , mediisque tibiis , brachii dexteri contra-ctione , alibique corporis citrè ullum tumorem sàvienti-bus afflictus , ut nec cubili se continere potens , nec lecto affixus miserrimè traheret spiritum ; in dies increbescen-tem gummosus tumor diù delitescens in sincipite dextero-versus oculum protuberans se manifestavit . Remedia mi-nora ferè innumera sine ulla symptomatum allevatione adhibebantur : Mercurialium usū catharticorum primò me-lius habere visus , exinde tandem deterior factus , eò tem-

pore præ immanni cruciatu ferro tumorem discindi passus est, sed frustraneo conatu. Quapropter cum methodus quæpiam nihil opis contulisset, sed recrudescente lue, salivationem, remedium cæteris quibusque validius ultimum, experiri consulitur. Statim corpore per catharsin, & phtisanam humectantem ritè præparato, salivationis stadium sublimato dulci inchoavit, qui ad finem morbi anhelans per quinque dies 36. grana mercurii in dulcem confecti devoravit; à pharmaco quinta vice repetito sputatio copiosa, & laudabilis incepit, quæ sinè malo quovis symptomate per mensem processit, & decrescente salivationis visciditate, ac pondere ad residuum spumescens glutinis compescendum novo usu mercurii per paucos dies ad 3. 5. interiecto curam confecit. Ante cursum hunc phtyalismi finitum, dolores omnes cum febre evanuere, indeque à gummate ulceroso exsiccato, licet longo morbi decursu defatigatus æger, intrà quadraginta dierum spatium integrè convaluit.

HISTORIA VI.

JUvenis eques vix celtico seminio tactus, jam primùm lue inquinatur, & virulenta gonorrhæa torquetur, à qua nescio quo, & fortassis malesana medela vindicatus, doloribus vagis incalescens accensa febricula inhorruit, à qua statim ingravescens morbus brevi ad feritatem perveniens, cum ossium carie, & gummatibus cranii ad musculos temporales protuberantibus, irrita tum unā, tum alia quacumque methodo, per tres annos tyrannidem suam exercuit. Quarè remedia diversimoda cūjusve ferè generis tentata cum potiùs exacerbationem intulissent, animatur æger salivationis cursum subire. Itaque ex consilii votis mercuriali salivationi committitur, à qua tumefactis glandulis, & fluidorum impetu dehiscentibus tubulis, crassa saliva ab osculis vasorum apertis indesinenter effluit, unde nullo amplius salivationis stimulo incusso, nul-
loque

loque addito impulsu phytalis mus per mensem ciebatur. Octava tamen die salivalis saburra confertim nimis versus ductus salivales irruens compescebatur syr. papav., & opiatis liquoribus. Hinc mitigatis gingivarum doloribus, & compede injecto uberiori salivæ effluxui, lento morbo si liquidi cursu stadium salivationis peragitur, quod curiculo dierum triginta pertingens à repetito Mercurii usu trigesimo quinto omnino desit. Hac æger eurâ consumpsit centum grana mercurii, quibus tophus, febris, dolorque capitis ex toto cessavit.

HISTORIA VII.

FÆmina quædam sanioso gonorrhææ fluxu miserrimè plexa, indè doloribus nocte recrudescentibus vehementer conqueritur. Verùm quia parum primò in affecta parte doloris sensit, tanquam leve malum contempsit: subsequentibus inde diebus evanescente sanioso icore, tumor quidam in sincipite interdum indolens ferè succrevit, qui nullo negotio à periti chirurgi industria sublatus, novos in vertice moliebatur tophos, extuberantes successu temporis in palato plures pustulæ in ulcera cachoetica, & putrida terminarunt. Hæc fœmina dum patrati sceleris fordes expiare cogitat, tuberculum exiguum in mamma dextera protuberat lentè proserpens, & vix pisi magnitudinem exæquans, quod inæquali pede, & mole concrescens, venis in ambitu turgidum cum colore livido, & obscuro, tactui insuper renitens dura veluti crusta obducitur, firmiterque subjectæ parti adhærens deterrimis, ac gravissimis symptomatis excruciat. Mulier de incohūitate sollicita licet plurimis morbis labefactata curæ salivatoriæ se concredidit, quæ sputationis cursu per mensis spatum repetito, indeque pustulis, & tophis, fætidisque ulceribus ubique evanescentibus, tunc ad valetudinem se recuperare videbatur; verùm gallica totius corporis defædatione ex istius votis intimè perdomata, recrudescit diù delitescens cance-

cancerosus tumor punctionibus quibusdam, ac si acu fierent, se patefaciens. Porrò ex hoc in dies actus tumor tot ærumnis reviviscit, præque diro dolore ita ingravescit, ut de repente ad ultimum stadium perduceretur, in quo apertis, & corrosis folliculis, & glandularum fibrillis, putris sanies, mox nigricans continuò emanavit, quibus diù obnoxia mulier tandem in lethalem lapsum incidit.

Hoc lethali morbi experimento per salivationem habitu turpi inficitia puniuntur, qui mercurialibus carcinoma discutere, ejusdem coagulum resolvere, atque salia corrosiva cicurare nituntur. Nucleus enim cancri, qui longos in annos naturæ, & medicamentis suavioribus inexcussus manet, incidentium, & resolventium usu commotus agitatur, inflammaturque, undè incandescentibus acrum salium coacervatis moleculis non mirum si in aper tam cladem terminetur.

F I N I S.



6

